



Ordine di Sant'Agostino

Provincia Agostiniana d'Italia

*Progetto culturale "Gli Agostiniani in Italia"*

Laboratorio di ricerca sulla storia, l'arte e la spiritualità  
dell'Ordine Agostiniano in Italia

Ignacio Aramburu Cendoya

*Constitutiones Ratisbonenses (II parte)*

Textus Latinus

Estratto da Miguel Angel Orcasitas (a cura di), *Passato e presente  
dell'Ordine di S. Agostino. La sfida con la storia – 750° Anniversario della  
Grande Unione dell'Ordine: 1256-2006*, Eurofilm Audiovisivi, Torino  
2006, CD Rom PC+DVD Video

***Centro Culturale Agostiniano onlus***

Via della Scrofa, 80 - 00186 Roma - Telefono / Fax 06-6875995  
Sito web [www.agostiniani.info](http://www.agostiniani.info) - E-Mail [centroculturale@agostiniani.it](mailto:centroculturale@agostiniani.it)

© 2007 Centro Culturale Agostiniano onlus

I diritti di traduzione, riproduzione, di memorizzazione elettronica  
e di adattamento totale o parziale con qualsiasi mezzo (compresi i microfilm e le copie fotostatiche)  
sono riservati per tutti i paesi.

**Centro Culturale Agostiniano onlus**

Via della Scrofa, 80 - 00186 Roma

Telefono/fax 06-6875995

Web [www.agostiniani.info](http://www.agostiniani.info) - Email [centroculturale@agostiniani.it](mailto:centroculturale@agostiniani.it)

**Provincia Agostiniana d'Italia**

Convento S. Rita

Via Colle delle Rose, 30 - 00060 Riano (RM)

Tel. 06-9036121 – Fax 06-9036213

Web [www.agostiniani.it](http://www.agostiniani.it) - Email [segretario@agostiniani.it](mailto:segretario@agostiniani.it)



Item inhibemus ne Vicarius et Definitores provincialis Capituli quidquam definire praesumant, quod nostris Constitutionibus vel istis praesentibus Additionibus, contradicat, sub poena privationis vocis ipso facto.

Item quilibet Prior Provincialis, quolibet anno sui provincialatus diligenter inquirat qui Fratres suae Provinciae sint inhabiles et incarceratedi, et quare, et qui super hoc dispensationem habent, et haec omnia in provinciali Capitulo Vicario et Definitoribus clare et lucide in scriptis det. Qui Vicarius et Definitores huiusmodi paenitentiatos, sub nomine et cognomine, in littera cum actis Capituli sine fraude Priori Generali denuntient et scribant. Quod si Provincialis, Vicarius et Definitores in eadem littera hoc facere omiserint, voce careant, donec per Priorem Generalem cum eis fuerit dispensatum. Praedicti etiam Vicarius et Definitores in eadem littera, cum actis Capituli, sine fraude, Priori Generali nominent viros suae Provinciae sex, vel circiter, discretos et providos, Religionisque nostrae praecipuos zelatores.

Item quicumque Frater in Capitulo provinciali habet commisionem de eligendo Definitore vel Discreto generalis Capituli, aut de eligendo Provinciali, ac etiam de eligendis Visitatoribus Provinciae in eodem Capitulo, electionem suam pronunciare debebit, alioquin electionem ipsam, post Capitulum dilatam, penitus annullamus, decernentes quod Frater habens decem annos in Ordine, eligibilis sit in Discretum Capituli generalis.

Item Vicarii Capitulorum provincialium non se intromittant de casibus, qui Priori Generali in Constitutionibus reservantur.

## CAPITULUM XXXIII

### DE OFFICIO ET AUCTORITATE PROVINCIALIS, ET PRO QUIBUS CASIBUS ABSOLVATUR

280. Priori Provinciali, salvo semper mandato et reverentia Patris nostri Generalis, Fratres de Provincia tanquam patri et pastori omnes oboediant, et debitam subiectionem et reverentiam eidem cum devotione ubique locorum exhibeant.

281. Ad officium autem eius pertinet: loca suae Provinciae omnia, saltem semel in anno, personaliter visitare, et ultra etiam, quoties sibi opus esse videbitur, et in eis corrigere et reformare, quae secundum statuta Ordinis invenerit corrigenda<sup>66</sup>.

282. Ad eum namque pertinet Piores locorum suae Provinciae canonice electos seu institutos confirmare, et ab officio absolvere si secundum instituta Ordinis casus emerserit absolvendi.

283. Et si Visitatores Provinciae ante tempus suae visitationis, unus vel ambo decesserint, seu aliquo iusto et rationabili impedimento impediti visitare non poterunt, Provincialis et Definitores praecedentis Capituli alium vel alios loco eorum constituant.

---

<sup>66</sup> VERODUN.: Officium autem eius est: loca suae Provinciae, quotiescumque opus sibi esse videbitur, personaliter visitare, et in eis corrigere et reformare, quae secundum statuta Ordinis invenerit corrigenda.



284. Et si, quod Deus avertat, Frater Fratrem leviter percutserit, poterit eos a vinculo excommunicationis, non autem irregularitatis, absolvere.

285. Novitii quoque, qui secundum instituta Ordinis idonei ad recipiendum ad Ordinem fuerint inventi, de expressa licentia Provincialis, et non aliter, sunt recipiendi. Illud idem fieri volumus de Conversis.

286. Volumus etiam ut Fratres qui sunt ad sacros Ordines secundum instituta Ordinis promovendi, ut de expressa licentia Provincialis ordinentur. Et si promotus distinete Psalterium legere nesciverit et Missale, qui eum promoveri fecerit, inde a die promotionis huiusmodi usque ad annum, sextas ferias solum in pane et aqua ieunet. Quod si sextas ferias, secundum quod dictum est, non ieunaverit, per triennium ad omne officium cum cura animarum ineligibilis, sine dispensatione aliqua, permanebit, et voce in omnibus careat, donec praedictam poenitentiam, sine diminutione, compleverit.

287. Si vero Fratrem aliquem in Priorem alicuius loci confirmaverit, qui nesciat legere distinete Breviarium et Missale, aut promoverit seu promoveri fecerit ad dictum officium, vel permiserit scienter, ex nunc promotionem huiusmodi viribus vacuamus et ipse, ipso facto, usque ad provinciale Capitulum sextas ferias in pane et aqua debeat ieunare. Deinde, usque ad quinquennium, ad omnem curam animarum ineligibilis permanebit.

288. Apostatas vero alterius Provinciae aut Fratrem aliud, non recipiat nec teneat, sine Prioris Generalis licentia speciali. Provincialis autem citramontanus infra tres menses a die commissae apostasiae recipere poterit suos apostatas, salva Ordinis disciplina. Ultramontanus autem Provincialis suos tantum apostatas, salva Ordinis disciplina, recipere poterit infra annum.

289. Fratres namque de loco ad locum mutare aut mittere non debet, sine magna et evidenti necessitate, infra annum. Qui si contra fecerit, sex dies in pane et aqua, infra mensem, a die mutationis seu missionis praedictae, sine dispensatione ieunet. Et, si dictos sex dies, sicut dictum est, non ieunaverit, a proximo sequenti provinciali Capitulo usque ad aliud sequens provinciale Capitulum, ad omnem curam animarum ineligibilis permanebit<sup>67</sup>.

290. Facta quoque visitatione omnium locorum de Provincia, in aliquo loco non erit assiduus, ne toedio et frequentia Fratrum ad eum recurrentium efficiatur alicui Conventui onerosus.

291. Salarium quidem a Provincia non recipiat, sed sibi ad victum necessaria, de eleemosynis et paupertate ipsius Provinciae, cum omni caritate Piores et Fratres locorum, ad quae declinaverit, administrent.

292. De uno vero vestimento, scilicet, cappa vel tunica, secundum quod eorum altero magis indigerit, et de calceamentis et scapulari, si necessitas id exposcat, et in cartis et cera, sibi Procuratores Provinciae providebunt.

293. Locum quidem proprium non habebit Provincialis, nec conventualis Prior simul erit.

---

<sup>67</sup> VERODUN.: Fratres vero de loco ad locum mutare aut mittere, nisi pro manifesta et evidenti necessitate. non debet. Quod si contra fecerit...



294. Quod si Lector ad provincialatum assumptus fuerit etiam si legat, de praedicta provisione sit penitus contentus<sup>68</sup>.

295. Veniendi ad Capitulum provinciale nulli licentiam concedat, nisi forsitan Frater aliquis iustum et manifestam habeat causam, propter quam id sibi necessario providerit concedendum; vel nisi Prior et Fratres loci, in quo Capitulum ipsum celebrari debet, pro utilitate Ordinis et ipsius loci petierint aliquos Fratres, in quo casu erit eorum petitionibus annuendum.

296. Ad Capitulum vero generale cum illis tantum, qui de sua Provincia electi fuerint ut ad ipsum Capitulum vadant, ibit; nullique alii eundi ad memoratum Capitulum licentiam penitus concedat.

297. Et quando ad praefactum Capitulum vadit, vel alias extra Provinciam eum ire contigerit, Fratrem unum discretum, et expertum et scientem ad minus sufficienter loqui latinum in Provincia ipsa Vicarium relinquat. Alias nullam auctoritatem habeat in ipsa Provincia Vicarium statuendi, nisi de speciali licentia Generalis.

298. Si autem extra suam Provinciam iverit, quod facere pro levi causa non debet, moram ultra quindecim dies non contrahat, nisi negotium pro quo staret tam arduum esset, quod sine magno periculo Provinciae relinqui vel alicui committi non possit<sup>69</sup>.

299. Provincialis ergo, de cuius providentia et fidelitate Ordo confisus administrationem et regimen Provinciae suae discretioni et fidelitati committit, inter cetera, ad augmentationem Provinciae sibi commissae et locorum promotionem solicite et attente vigilare debet, et ad hoc pro posse laborare, et Piores ac alios Fratres ad idem inducere incessanter insistat. Fratrum vero numerum attentissime, in quantum sibi Deus permiserit, accrescere, et Piores et Fratres singulos, qui ad hoc utiles esse possunt, fideliter solicitare non cesset<sup>70</sup>.

300. Moneat saepe insuper Fratres cum saecularibus et Religiosis modeste loqui, et eisdem honorem et reverentiam debitam exhibere; interius et exterius, modeste et religiose incedere; extra locum habitum in dorso semper deferre.

301. Ordo itaque experiatur opere, quibus Provincias Ordinis ampliandas et augmentandas possit et debeat confidenter committere. Removendi enim omnino sunt ab administratione officii, quorum opera augmentum Ordinis non producunt ad lucem.

302 Habeat quoque Provincialis Constitutiones, quas de bonis Provinciae fieri faciat; et hoc idem, de bonis sui Conventus, Prior conventionalis observet: legem enim, quam Praelatus non didicit observare, non potest alios sine legi errore docere.

303 Si autem Provincialis Prior, Dei timore postposito, ita se habeat, quod non sit amplius in ipso provincialatus officio sustinendus, pro eo forte quod irreligiose vivit, videlicet: quod Constitutiones et laudabiles ordinationes Ordinis, quasi eas contemnendo, non servat nec eas facit per loca suae Provinciae, iuxta possibilitatem sui officii, observari et legi; aut forte quia turpibus et illicitis quaestibus intendit, aut in Ordine seu in Provincia aliqua Ordinis schismata et discordias nutrit vel conjurationes seu conspirationes facit; aut forte per se vel per alium arte vel ingenio aliquo, operatur, ut in ipso officio provincialatus remanere

<sup>68</sup> VERODUN.: Añade: et ubique, in generali et provindali Capitulo, una sit vox sua, si ve Prior Domus si ve Provincialis existens.

<sup>69</sup> VERODUN.: ... moram ultra mensem non contrahat.

<sup>70</sup> nn. 299-302. Omitidos.



possit; vel si probatos et manifestos excessus alicuius vel aliquorum Fratrum secundum statuta Ordinis non correxerit; vel forte si aliquem convictum de aliquo notabili vitio, vel de quo, quasi publica laboret infamia, in Priorem conventualem, ex certa scientia, confirmaverit; si verba quoque injuriosa et contumeliosa ex consuetudine Fratribus dicere assuescit; aut si de crimine cuiuscumque vitii carnalis per tres, vel saltem duos, Fratres bonae famae et opinionis fuerit convictus; vel si infamia inter Fratres aut saeculares publica praedicti vitii contra eum laboret; aut de nimia frequentia alicuius dishonesti loci seu familiaritate dishonestae personae; vel si apud Fratres vel saeculares notabiliter infamatus fuerit; vel si munera, dona aut encennia, praeter commestibilia seu quocumque alio nomine censeantur, a Fratre aliquo vel Conventu seu communitate Provinciae, aut ab aliqua alia persona, eius vel eorum nomine, per se vel per aliquam interpositam personam, receperit vel recipi fecerit; vel si in oratorio et refectorio, ad minus postquam tribus diebus in loco steterit, cum aliis Fratribus quasi continuus sine manifesta et evidenti necessitate non fuerit, absolvatur.

#### ADDITIO

Circa tricesimum tertium capitulum de officio Provincialis addicimus quod Piores Provinciales possint suspendere, vel etiam absolvere Piores Studiorum generalium, si sufficientes causas invenerint, confirmationem illorum Priori Generali relinquendo.

Nolumus tamen quod Prior Provincialis aliquem Fratrem Ordinis possit voce privare nisi secundum quod in Constitutionibus est taxatum.

Possit etiam Prior Provincialis citramontanus, quando Prior Generalis fuerit ultra montes, recipere suos apostatas usque ad annum, computando a die suae apostasiae, secundum quod suo modo Constitutio loquitur de Provinciali ultramontano, quando Generalis est citra montes.

Nolumus tamen quod Prior Provincialis sub absolutione sui officii, quam incurrat ipso facto, aliquem apostatam alterius Provinciae recipere possit sine Prioris Generalis licentia speciali.

Item praecipimus et mandamus quod inhabilitatis poena in nostris Constitutionibus inflictia Prioribus Provincialibus confirmantibus aliquem in Priorem distincte legere nescientem, se extendat ad quoscumque officiales nostri Ordinis, confirmantes in Priorem vel ad sacros Ordines promoventes tales qui nec congrue suos conceptus litteraliter possunt exprimere, taliter quod ab aliis possint intelligi, qui eorum non intelligunt idioma.

Item statuimus quod Prioris Provincialis licentia data alicui Fratri, ut intra vel extra suam Provinciam vadat, etiam pro quocumque negotio fuerit, non valeat nisi pro semel, et quod in dicta licentiae littera contineatur, quod talis Frater associetur, iuxta discretionem sui Prioris.

Nullus etiam Provincialis aut alias officialis Ordinis, ad extorquendam veritatem seu confessionem aliquam, aliquibus suis subditis enormem violentiam inferat tormentorum. Qui autem per subtractionem omnis cibi, aut per aliquod tormentum enorme, confessionem ab aliquo suo subdito extorserit, sit ipso facto a suo officio absolutus, ac voce careat et inhabilis permaneat per quinquennium ad omnem curam animarum. Non autem intelligimus illud esse enorme tormentum si quis detinetur modo, quo poenitentiati poena carceris detinentur.



Praeterea ordinamus quod Prior Provincialis Provinciae Franciae iurisdictionem ordinariam habeat in Conventu parisiensi, ita dumtaxat quod dictum Conventum parisiensem visitabit cum illo vel illis, quem vel quos sibi assignabit Prior Generalis, et de eius vel eorum maturo ac salubri consilio procedet in correctionibus ibidem fiendis.

Item poenam taxatam in nostris Constitutionibus Praelatis recipientibus munera a suis subditis, extendimus ad dantes, et ad socios Praelatorum suo modo, ac etiam ad Vicarios et Definitores generalium et provincialium Capitulorum, quamdiu durant ipsa Capitula.

## CAPITULUM XXXIV

### DE OFFICIO ET AUCTORITATE VISITATORUM PROVINCIAE

304. Visitatores quoque cum omni maturitate, et diligentia ac aequitate debent commissum eis visitationis officium exercere, ut in visitando nil faciant vel omittant, quod postmodum corrigatur in eis.

305. Horum officium est omnes Conventus et Fratres de Provincia, semel in anno, tempore quo eis congruum et opportunum videbitur, visitare; Fratrum omnium, tam subditorum quam Priorum, culpas et excessus secundum statuta Ordinis corrigerem.

306. Ita tamen quod in sua visitatione ubique simul ire et esse debeant, et quidquid ad suaे visitationis spectat officium, totum mutua praescientia, deliberatione, consilio et consensu perficiant secundum Ordinis instituta.

307. Destituere autem aut instituere Priorem omnino non possint, nisi secundum formam eis inferius designatam.

308. Sequenti igitur vel tertia die postquam ad locum pervenerint, quem ex officio suo visitare debebunt, visitationem incipient, si Fratres in Domo fuerint, alioquin eos expectent, si eis videbitur expedire. Factoque sermone in Capitulo, alter eorum, nomine suo et alterius, omnibus et singulis Fratribus, in virtute sanctae oboedientiae et sub poena excommunicationis, praecipiat, ut ipsi Fratres de omnibus super quibus interrogati aut requisiti fuerint, puram et apertam, remotis odio, amore pretio et precibus, dicant ipsis Visitatoribus veritatem.

309. Quo facto, si Prior vel aliquis alias se ipsum accusare vel alium clamare ad culpam voluerit, servabitur modus, qui in Capitulo de culpis scribitur observandus.

310. Deinde, egresso Priore de Capitulo, interrogabunt ipsi Visitatores et singillatim inquirent, in virtute praecepti facti, ut si aliquid emendandum vel corrigendum, et quod tolerari non deceat nec debeat, sciverint vel audierint de Priore aut Fratre alio, licet ex auditu solo, nisi esset fama publica, non sit procedendum ad poenam, illud tamen debent ipsis Visitatoribus revelare.

311. Rursumque, in eiusdem virtute praecepti, singulariter et private, inquirent a quolibet Fratre de Priore et de unoquoque alio scribentes tam ea quae publico, scilicet in Capitulo quam ea quae private sibi dicta vel revelata fuerint, ut si forsitan, casus aliquis fuerit adeo gravis ut necesse sit quod multa habeatur deliberatio super eo, aut si proinde oriretur



contentio, habeant Visitatores ipsi scripta in libello in testimonium, ut per ea veritas elucescat.

312. Postquam inquisitionem de omnibus quae ad correctionem et emendationem Prioris et Fratrum omnium spectabunt fecerint diligenter, hora qua eis videbitur opportuna, Capitulum congregabunt, et si in aliquo Priore vel Fratre alio aliquid invenerint quod corrigi debeat et puniri, ipsimet eum in Capitulo proclamabunt, ut si id confiteatur, non opporteat ut ii, per quos convincendus fuerit, publicentur. Si vero tunc diffitebitur, tacito adhuc nomine praedictorum, legent coram ipso et aliis Fratribus, quae de eo invenerunt. Si forsitan ipse audiens culpam suam et modum culpe quam commisit, erubescat erubescientia quae adducat veniam et confiteatur, testes non aperiantur. Alioquin Fratres illi per quos fuerit convincendus surgentes, quae dixerunt de eo Visitatoribus, coram omnibus dicent, ut convictus, dignam pro suis culpis subeat ultionem.

313. Visitatores quoque iidem, si aliquem de Fratribus invenerint enorme aliquid commisisse, propter quod de loco illo, in quo illud commisit, sit merito removendus, puta quia suscitaverit schismata inter Fratres; aut contra Priorem se malitiose exerxit; vel extraneis Capituli secreta revelaverit; sive alicui familiaritate coniunctus est, quam ipse deserere non vult et sine scandalo tenere non potest; seu crimen aliquod grave commiserit per quod generavit vel generare posset scandalum in populo, sive Conventus aut Fratrum loci turbare vel impedire quietem. Fratrem illum, qui huiusmodi est, Provinciali denuncient, ut inde removeat ipsum. Et si scandalum talis Fratris nimis invalescat, talem Fratrem removendum cum suis litteris ad Provinciale transmittant.

314. Priorem vero nullum absolvant, nisi in casu qui notatur supra in capitulo de modo celebrationis Capituli provincialis. Si tamen casus emerserit, eum ab administratione officii ad tempus suspendant, ita tamen quod, propter huiusmodi suspensionem, voce non privetur in provinciali Capitulo, nisi Vicario Generalis videretur privatione dignus<sup>71</sup>.

315. Si vero Visitatores ipsi, ex rationabili causa, post tres dies continuos tantum, in quibus eorum visitatio durabit et non ultra, moram in aliquo loco contraxerint, tam Prior quam Fratres loci eiusdem, eis, tanquam personis auctoritatis, honorem exhibeant.

316. Teneantur tamen ipsi Visitatores oboedire Provinciali, salvo officio eis commisso secundum Ordinis instituta.

## CAPITULUM XXXV

### DE QUIBUS CASIBUS VISITATORES INQUIRERE DEBEANT

317. Diligenter quoque Visitatores inquirant quomodo serviatur infirmis et Novitii instruantur, et utrum Fratres aliqui, alias quam cum Prioris discretio ex causa forte cum eis dispensat, alio quam sibi concesso cibo utantur, aut solitum ieunium sine rationabili causa frangant. Si bene silentium horis et locis debitiss teneatur. Si debitus modus in mulierum collocutione et visitatione servetur. An aliquis aliquid proprium sine licentia sui Prioris habeat, aut de licentia aliquid quod careat honestate. Utrum Fratres convenient ad Capitulum sicut debent. An aliqui in consuetudine habeant non interesse Missae Conventus. Et an Prior

<sup>71</sup> VERODUN:... nullum absolvant. Si tamen casus emerserit.



solicitus et intentus sit ad promotionem loci, et diligenter inquirant et videant in quibus locum promovit, et utilitates et meliorationes Ecclesiae et Domorum, quae suo tempore factae sunt. Item si Ecclesiam seu Oratorium facit teneri mundum et honestum, et in his quae ad cultum pertinent divinum, debito et religioso modo ornata servat. Item si dormitorium, foresteriam et infirmariam, in cellis et lectisterniis tenet et observat, secundum quod Constitutio sibi praecipit observare item si omnes Horas diurnas et nocturnas, praeter sextam, devote cantare facit. Si Ordinem et honorem Ordinis fervente diligit, et de eo aliud quam honorabile et honestum loquatur. Et si Fratres ad omnia haec et alia observanda hortatur, et monet, et contrarium facientes sollicite increpat, reprehendit et corrigit<sup>72</sup>.

318. Et si invenerint quod iuxta tenorem Constitutionum in observatione praedictorum se laudabiliter habeat, ipsum confortent, honorent, et Provinciali intime recommendent. Et de omnibus aliis, tam de his quae secundum nostram Regulam et Constitutiones Ordinis fieri mandantur, quam de his quae fieri prohibentur, diligens erit inquisitio facienda, ut quilibet, sive non facienda fecerit sive facienda omiserit, puniatur<sup>73</sup>.

319. Si quis ex Fratribus adversus Priorem suum aliquid corrigendum sciverit, quod tolerari non debeat, inter se et Priorem cum humilitate et caritate admoneat. Quod si Prior neglexerit aut contempserit se emendare, Provinciali seu Visitatoribus, cum ad eandem Domum venerint visitandam, significare procuret, vel Definitoribus Capituli generalis aut provincialis significet, si per praedictos corruptus non fuerit. Aliter enim Piores suos subditi infamare non praesumant.

320. Rursum, quisquis sive de Priore, sive de Fratre alio sciens aliquid, quod vel in animae illius periculum aut in scandalum Ordinis vergi posset si eum non monuerit, atque si monitus neglexerit corrigi, si non indicaverit vel accusaverit, ipse, tamquam reus talis culpae et criminis, poenam, quam eadem culpa exigit, sustinere compellatur.

321. Solicite quoque Visitatores inquirant, tam a Prioribus conventionalibus quam a Fratribus aliis, quomodo in Provincia Provincialis Prior se habeat, máxime si recipiat munera, aut intendat quaestibus, vel schismata suscitet, sive coniurationes faciat, aut Capituli seu Generalis Prioris mandata contemnat, aut aliquibus negotiis se implicit, quae honestati Ordinis non congruant. Et licet Provinciale non debeant corrigere, neque eius correctionem immutare vel infringere, volumus tamen, ut tam id quam aliud quidquid per eos corrigi seu reformari non poterit, illud totum fideliter debeant provinciali Capitulo referre in scriptis, ut per ea Vicarius et Definidores ipsius diligentius corrigere et reformare possint.

322. Munera quidem, vel munuscula seu quodlibet aliud ab aliquo Priore vel Fratre subdito suaे Visitationis, vel a Conventu seu ab aliqua persona pro eis; per se vel per interpositam personam, non recipient. Quod si quid receperint, receptis priventur; deinde usque ad triennium ad omne officium cum cura animarum ineligibiles permansuri.

323. Praecepta autem quae ad inquisitionem faciendam in visitatione Visitatorum, et praecepta Vicarii et Definitorum facta in Capitulo provinciali ad iniunctas poenitentias observandas, firma et immobilia permaneant, ita ut ab eis nullus Frater, praeter Generalem Priorem, auctoritatem habeat absolvendi, nisi adimpleto tenore sententiae vel praeepti facti per praedictos. Contra quod praeeceptum vel sententiam si quis, tanquam pertinax probabiliter

<sup>72</sup> VERODUN. *Omite la segunda mitad:* Et an Prior solicitas.. . reprehendit et corrigit.

<sup>73</sup> VERODUN. *Omite el principio:* Et si invenerint... intime commendent. *Omite:* quam de bis quae fieri prohibuntur.



fuerit, poenae gravioris culpae duobus mensibus iubiacebit. Et quod dictum est de praceptis Visitatorum, et Definitorum et Vicarii, volumus e converso per Visitatores de praceptis Provincialis penitus observari.

324. Si autem ab huiusmodi sententia Provincialis, et Definitorum seu Visitatorum Frater aliquis, Prior vel subditus, Fratrem aliquem absolvere attentaverit, vel eidem absolutionem ab aliquo procuraverit impetrare, quia ex huiusmodi fraude rigor Religionis conculcatur, et auctoritas Maiorum deluditur et malorum iniquitas palliatur, cuiuscumque auctoritatis sit Fratrer qui huiusmodi absolutionem fecerit vel faciendam procuraverit, ad omne officium cum cura animarum ineligible per quinquennium permanebit, confessiones etiam saecularium infra dictum terminum nullatenus auditurus.

325. Praeterea, si consuetudo aliqua in aliquo loco nostri Ordinis a Regula vel Constitutionibus inoleverit aliena, ab illa praecipient Fratribus in ipsis locis commorantibus de cetero abstinere<sup>74</sup>.

326. Si alter Visitatorum, non suo excessu, de sua Provincia fuerit mutatus in aliam antequam officium visitationis sibi commissae perficiat, ipse nihilominus ad faciendam eam, tempore quo cum suo socio faciendam providerit, revertetur. Alioquin per Provinciale et Definitores Capituli praeteriti alias substituatur, nisi Generalis Prior ipsi Provinciae vellet aliter de Visitatore providere.

327. Si vero Provincialis Prior decesserit, vel aliquo modo ab officio ipso ceciderit, seu fuerit absolutus vel suspensus, si Generalis Prior aliter de ipsa Provincia non ordinaverit, Visitatores Provinciae locum eius ubique usque ad Capitulum provinciale tenebunt. Ita ut, si post Provincialis eiusdem obitum, alter Visitatorum decedat, alter qui supererit alium idoneum, cum consilio et voluntate Definitorum provincialis Capituli proximi praeteriti, debeat assumere. Si enim Visitatoribus habentibus curam Provinciae instet tempus generalis Capituli, in quo debeat Generalis Prioris electio celebrari, antiquior ex eis in Ordine ad dictum Capitulum ibit, vocem loco Prioris Provincialis defuncti in omnibus habiturus.

## ADDITIO

Circa tricesimum quintum capitulum de casibus Visitatorum addicimus quod quicumque Frater Prioris Generalis, aut Provincialis, aut alicuius Visitatoris sententiam excommunicationis ex certa scientia incurrisse convictus fuerit, incareretur per tres menses.

Si quis vero sententiae contra aliquem ex maturo consilio latae se opposuerit, si conventionalis est, statim incareretur; si Studens, sit ipso facto a Studio revocatus; si Lector est, sit Lectoria privatus; si Baccalarius, sua Praesentatione privetur; si autem Magister extiterit, sit ipso facto voce privatus, usquequo per generale Capitulum cum eo fuerit dispensatum.

Item si in Provincia, quae non habet Visitatores, contingat Provinciale decidere, vel in suo officio legitime impediri, senior Definitorum Capituli praecedentis, ipsam Provinciam regat, donec Prior Generalis de Rectore Provinciali providebit.

---

<sup>74</sup> VERODUN.: *Omitido.*



## CAPITULUM XXXVI

### DE FORMA CIRCA STUDENTES, ET LECTORES ET PRAEDICATORES NOSTROS SERVANDA

328. Quaelibet Provincia nostrae Religionis semper unum Fratrem studentem Parisius habeat in Studio Theologiae, cuius electio ad Provinciale vel Vicarium Generalis et Definitores provincialis Capituli pertinebit; qui per quinquennium studeat ibi, et eidem in decem libris turonensium, in Nativitate Virginis gloriosae, ipsa Provincia provideat annuatim.

329. Ad praedictum autem Studium Frater aliquis non mittatur, nisi in Grammaticalibus et Logicalibus sit competenter instructus, et sit persona humilis, et vitae et famae laudabilis, et qui percussor non extiterit, nec de furto seu de aliquo vitio carnali convictus fuerit, nec etiam notorie infamatus, qui numquam cum infamia de Ordine exierit. Qui autem in aliquo de praedictis vitiis rationabiliter fuerit convictus, vel de eo notorie infamatus, etiam si sine expensis Ordinis ire voluerit, non ei concedatur<sup>75</sup>.

330. Et ideo volumus, ut qui Parisius ad Studium est mittendus, prius per Vicarium vel Provinciale et Definitores et duos Lectores ad minus, examinetur, tam de scientia quam de vita.

331. Statuimus enim et praecipimus inviolabiliter observari, ut nullus qui tricesimum quintum, annum aetatis attigerit vadat Parisius ad Studium, nisi tam sufficientis scientiae et subtilis ingenii inventus, quod, pro communitate et commoditate Ordinis, generale Capitulum vel Prior Generalis decreverit aliter observandum. Nolumus tamen ad Lectores, qui mittuntur Parisius ut ad Magisterium perveniant Theologiae facultatis, praesentem constitutionem extendi.

332. Quod si aliquis de ipsis Studentibus tam notabiliter ad studium negligens fuerit et remissus, quod non sit spes quod in suo quinquennio efficiatur sufficiens pro officio Lectoriae, Prior loci, et Magistri et Baccalarii, qui solicitudinem Studentium saepe considerare et investigare debent, talem reprehendant, et ad studium moneant et confortent. Quod si ab eis pluries monitus se non correxerit, Priori Provinciali et Definitoribus Capituli suae Provinciae per litteras sigillatas sigillis suis significant, quibus literis receptis, Prior Provincialis et Definitores eum de ipso Studio statim revocent, et alium magis idoneum substituant loco eius<sup>76</sup>.

333. Si autem aliquis de ipsis Studentibus Parisius commorantibus, quantumcumque profecerit vel sufficiens fuerit officio Lectoriae, talis efficiatur quod de aliquo ex vitiis suprascriptis convincatur, per Provinciale et Definitores Capituli suae Provinciae, statim cum eis notum fuerit, revocetur, et libris privetur, necnon officio perpetuo Lectoriae; et nihilominus puniatur secundum statuta Ordinis de commisso. Et si Provincialis seu Vicarius

<sup>75</sup> VERODUN.: ... de Ordine exierit. Qui autem semel et non pluries animi levitate, sine omni scandalo, exivit, et postea reversus per plura tempora religiose fuit conversatus poterit Parisius, non tamen infra quinquennium a tempore sua reversionis, mitti. Qui autem in aliquo ex praedictis...

<sup>76</sup> VERODUN.: Quod si aliquis de ipsis Studentibus notabiliter ad studium negligens fuerit et remissus, vel incepert de scientia notabiliter superbire, per Provinciale et Definitores Capituli revocetur, et per eos substituatur aliis loco eius.



et Definitores Capituli provincialis hanc formam integre non servaverint, usque ad quinquennium, ad omne officium Ordinis ineligibiles debeat permanere.

334. Cum autem Provincialis et Definitores praedictum Studentem suae Provinciae, circa quinquennium, revocare debent sic ordinent, ut idem Studens, antequam de Parisius recedat, habeat ab ipsa Provincia quadraginta libras turonensem pro libris, ut propter defectum librorum, cum ad Provinciam suam redierit, eius non possit studium impediri. Et in illo provinciali Capitulo, in quo revocabitur Studens ipse et non ante, alias de eadem Provincia, qui ad idem Studium ire debet, eligatur. Quod si aliquis eligeretur ante, talem electionem penitus nullamus. Revocatusque, si Capituli generalis tempus instabit et ad illud iverit, a tribus Lectoribus, positis per Generalem et Definitores eiusdem Capituli, examinetur. Alioquin in praesentia Generalis, vel de eius mandato, bene et sufficienter examinetur, et si sufficiens inventus fuerit officio Lectoriae, de mandato ipsius Generalis, de cetero tanquam Lector habeatur, et legat in loco, qui sibi pro tempore a suis Maioribus fuerit assignatus<sup>77</sup>.

335. Studens vero qui a Priore Generali per tantum spatium viarum distaverit, quod ad ipsum sine gravibus laboribus et expensis ire non possit, a quocumque Studio Ordinis recedat, antequam pro Lectore se gerat vel officium Lectoriae exerceat, a Generali impetrat a quibus examinari et approbari debeat. Et postquam de sufficientia suae scientiae fuerit approbatus, pro Lectore ubique, et non aliter, reputetur. Quod si minus sufficiens inventus fuerit, privetur libris a Provincia habitis, et officio perpetuo Lectoriae, nisi postea ita studendo profecerit quod de eo iudicetur aliter ordinandum<sup>78</sup>.

336. Examinatione sufficientis scientiae studentis habita, antequam ut Lector legere incipiat, de quocumque Studio reversus, libros valentes communi aestimatione summam pecuniarum, quam a Provincia recepit, Priori Provinciali et Procuratoribus ipsius Provinciae, in qua eius libri post mortem suam remanere debent, integraliter assignet, et pro Lectore non habeatur, quousque non adimpleverit. Et Prior praemissos libros scribat in libro Procuratoris et Sacristae<sup>79</sup>.

337. Si vero aliquis Conventus, suis expensis, Parisius ad Studium aliquem voluerit mittere de Fratribus suis, volumus quod id sibi liceat, dummodo adsit specialis licentia Generalis. Ita tamen quod per hoc non eximatur a communi onere, in quo debet Provinciae respondere.

338. Studentibus quidem Parisius Generalis provideat de Vicario vel Priore, qui non sit Studens<sup>80</sup>.

339. Conventus vero qui suis expensis Fratrem aliquem Parisius miserit ad studendum, cum idem Studens ad perfectum doctrinae venerit, nisi pro excessu vel maiori utilitate et

<sup>77</sup> VERODUN.: ... eiusdem Capituli examinetur. Alioquin a Provinciali et Definitoribus suae Provinciae duo Lectores eligantur, qui fideliter et non in superficie, tanquam zelatores Ordinis, eundem examinabunt. Et si inventus fuerit sufficiens officio Lectoriae, legat in loco qui per Vicarium Generalis et Definitores ei fuerit assignatus.

<sup>78</sup> VERODUN.: Si vero insufficiens in examinatione fuerit inventus, ei libri, quos habuit a Provincia, sint detenti, et ipso facto sit privatus auctoritate legendi pro Lectore, nisi in posterum ita profecerit, quod de eo Capitulum generale aliter iudicaverit fadendum.

<sup>79</sup> VERODUN.: *Omitido*

<sup>80</sup> Veredun. *Añadido*: et eidem omni anno, pro victu et vestitu. Ordo in decem libras turonensem providebit, donec dictus Conventus poterit sibi in talibus providere. Et, ut ipsis Studentibus commodius temporalia et spiritualia administret, plenam auctoritatem ha beat ipse Prior vel Vicarius eosdiem Studentes secundum statuta Ordinis corrigendi.



honore Ordinis, non removeatur de dicto Conventu. Et si, quod absit, suis meritis exigentibus, fuerit de Conventu ipso remotus, libri, quos Conventus idem emit, in eodem loco debent remanere. Si vero alia iusta causa exigente removeatur de praemissso Conventu, provideatur eidem Conventui per Provinciale et Definitores provincialis Capituli de Lectore. Provincialis autem et Definitores provincialis Capituli locis Provinciae de Lectoribus provideant secundum quod magis ad laudem Dei et bonum statum Ordinis viderint expedire.

340. Statuimus denique et mandamus inviolabiliter observari, ut Prior Generalis, qui pro tempore erit, in Italia quatuor Studia generalia, ad minus, faciat semper in fervore et assiduitate studii retineri. In aliis vero Provinciis similia Studia numero faciat, secundum possibilitatem uniuscuiusque Provinciae, observari. Et in unoquoque ex ipsis Studiis sint duo Lectores, quorum unus, de mandato ipsius Generalis, legat de textu et disputet tempore opportuno, et aliquam aliam lectionem in Philosophia, prout consideraverit magis ad utilitatem Studentium expedire, et Studium ipsum debita solicitudine ordinet et dirigat. Alius vero legat Sententias et in Logicalibus vel in Philosophia, secundum quod magis utilitas et commoditas Studentium exigebit<sup>81</sup>.

341. Et ad praedicta quidem Studia de qualibet Provincia mittatur unus Studens, in Grammaticalibus et Logicalibus ita sufficienter instructus, quod postquam in tali Studio per quinquennium steterit, inveniatur idoneus officio Lectoriae. Talibus enim Studentibus in omnibus necessariis, ut conventionalibus, ab ipso Conventu, sine distractione aliqua, sit provisum. Insuper lumen habeant a Conventu a festo sancti Michaelis usque ad Resurrectionem Domini.

342. Alii qui de gratia ad talia Studia admittuntur, nihil aliud quam communem vitam refectorii ab ipso Conventu recipient.

343. Praefati vero loci in electionibus tam Studentes Provinciarum quam ii qui de gratia sunt vocem nullam habeant.

344. Statuimus quod pro Lectore principali in Studio generali nullus ponatur, nisi prius legerit ad minus tribus annis omnes libros Sententiarum in Scholis, post reversionem de Parisius, exceptis Baccalariis parisiensibus si contingat eos redire, qui sub hac regula non includantur.

345. Prior autem ipsius loci, sicut honorem et statum Ordinis diligit, sic Studium solcite et ardenter foveat, et Studentibus pius et favorabilis semper assistat, et ad hoc suos conventionales inducat et adstringat. Studium sane eorum oboedientia aliqua, nisi invitus et quasi inevitabili necessitate compulsus, non impedit. Ad praedicandum tamen, si opus fuerit, pro honore Ordinis, eos quandoque mittat, et si copia eleemosynariorum in loco interdum non sit, Studens, pro pane bis vel ter in mense, ire, ad mandatum Prioris, non renuat; et pro quaesta musti, ubi opus erit, vadat.

346. Primis siquidem Missis conventionalibus, Vesperis et Completoriis semper intersint. Matutinum autem diebus Dominicis, et festis semiduplicibus, et aliis maioribus, semper cum aliis Fratribus in choro cantent. Aliis vero diebus Matutinum, et alias Horas canonicas in Capitulo seu in Scholis diligenter et solicite dicant.

347. Lectores namque unum ex ipsis Studentibus melioris vitae et famae atque opinionis aliis Studentibus praeponant, ad cuius mandatum omnes ad Matutinum et ad alias Horas

---

<sup>81</sup> nn. 340-349 VERODUN. *Omitido*



canonicas surgant et convenient, et in studio vigilent, et ad dormiendum intrent. Et iste, qui sic praepositus fuerit, alios continue solicitet ad insistendum studio, et ad reddendum canonicas Horas Deo, et reverenter Priori in his quae pertinent ad honorem Ordinis et ad bonum statum loci, in quibus tanto fortius debent esse solliciti, quanto diligentius Ordinem appetunt honorare.

348. In examinatione porro et approbatione Studentis, qui stetit in huiusmodi Studio, servetur in omnibus modus supra, eodem capitulo, descriptus.

349. Sedes Lectorum in quibus legunt in Scholis habeant altitudinem duorum pedum et dimidii tantum et non ultra, ubi pedes tenent.

350. Lector sane a consueto principio Studii usque ad festum sancti Petri continue legat, et sermocinetur et praedicet tempore opportuno. Et eum Prior omni die, exceptis secundis, quartis et sextis feriis, in quibus erit cum Priore et Fratribus assiduus in Conventu, secundum possibilitatem loci, extra refectorium cum omni caritate et discretione pertractet. Et eidem de uno vestimento, scilicet, cuculla vel tunica et scapulari, si indiguerit, et in calceamentis, et lumine ac infirmitate diligenter provideat. Et ipse Lector de sic sibi administratis eleemosynis sit, tanquam divinae legis amator et instructor, contentus.

351. Lectores vero qui, secundum tenorem praefactae Constitutionis, non legerint et alia non observaverint, omni provisione eis per dictam Constitutionem concessa, priventur et in ceteris aliis habeantur sicut unus ex Fratribus de Conventu<sup>82</sup>.

352. Si enim alicui loco fuerit per generale Capitulum de aliquo Lectore provisum. Lector idem in ipso loco maneat, donec fuerit de eodem per Generalero amotus.

353. Lectores namque, qui esse debent aliis in exemplum, ad Vigilias, et Horas nocturnas et diurnas solcite vadant, nisi quando forte, propter sermones, et praedicationes et etiam varias lectiones legendas, ex hoc eorum studium impediretur.

354 Tempore autem studii venire ad Capitulum non graventur, nisi secunda vel sexta feria, in qua Capitulum intrent; de his in quibus se reos cognoverint humiliter accusantes, nisi forte aliquis casus superveniret, propter quem, si vocati fuerint, ire teneantur. .

355. Nullus vero Lectorum ad prioratum alicuius Conventus assumatur, sine Prioris Generalis licentia speciali.

356. Ad Capitula vero provincialia ire possunt cum aliis Fratribus, qui pro suis Capitulis sunt electi, et sicut Discreti vocem habeant in eisdem<sup>83</sup>.

357. Studia vero Lectorum et cellae sint in dormitorii, sicut convenientius fieri possunt ad studendum.

358 Fratres quoque Sacerdotes et Clerici cuiuslibet loci, in quo erit Studium Theologiae, a Priore loci Scholas cotidie intrare cogantur.

359. Illos sane Studentes, qui de Conventibus suis ad locum alium eiusdem Provinciae missi fuerint ad studendum, Piores eorum pro quaesta messium et vindemiarum, si voluerint,

---

<sup>82</sup> VERODUN.: Lectores vero, qui, secundum tenorem praefatae Constitutionis, quantum in eis est, se non habuerint, omni provisione eis per praedictam Constitutionem concessa...

<sup>83</sup> VERODUN.: Ad Capitula vero provincialia ire possunt, sicut alii Fratres qui pro suis Capitulis in Discretos sunt electi, et per eundem modum vocem habeant in eisdem.



ad Conventum, et non aliter, revocabunt; vel nisi discretioni Provincialis videbitur aliter observandum. Ita tamen, quod statim, perfectis vindemiis, ad Studia revertantur.

360. Praedicare enim verbum Dei non nisi viris providis et sufficientis literaturae sit permisum. Igitur per Priorem Provincialem et Definitores Capituli provincialis duobus Lectoribus iniungatur, ut eos qui praedicare debent examinent, et eis qui in examinatione sufficientes inventi fuerint, praedicare, verbum Dei, et non aliis, committatur. Quod si quis sine auctoritate huiusmodi praesumpserit praedicare, pro qualibet vice praedicans, in una hebdomada, in medio refectorii super nudam terram sedens, in pane et aqua, sine ulla misericordia, secunda, et quarta et sexta feria reficiatur<sup>84</sup>.

361 Praedicatores autem nostri Ordinis in suis praedicationibus moneant populum et hortentur, quando eis videbitur expedire, ut in iuribus suis respondeant Praelatis.

362. Volumus insuper, ut Fratres Archiepiscopis et Episcopis, qui aliquando causa devotionis ad loca nostra declinaverint, honorem et reverentiam exhibeant, et publico excommunicatos ab eis vitent. Praecipimus etiam et mandamus ut Piores Provinciales et conventuales Praelatos personaliter visitent, qui in suis partibus commorantur, quatenus devoti ad Ordinem ex hoc devotiores fiant. Nihil tamen, causa devotionis, et humilitatis et reverentiae faciant, quod praeiudicet Ordinis libertate<sup>85</sup>.

363 Provincialis vero et Definitores Scholas logicales et grammaticales, in quibus rudes scholares de Provincia studeant, in provincialibus Capitolis ordinent et per eos ordinatus numerus Studentium ponatur, in quo nullus nisi aptus studio numeretur.

364 Ordinent enim de bonis Provinciae salarium competens pro Magistris, quando Fratres Ordinis habere non poterunt pro Magistro. Ordinent etiam quod quilibet Prior juvenes sui Conventus faciat in aestate in cantu doceri<sup>86</sup>.

365. Provincialis vero seu Vicarius et Definitores qui hoc non servaverint, sedendo ad mensam, viginti dies in pane et aqua, sine dispensatione, ieunent, infra tres menses<sup>87</sup>.

366. Iuxta vero portam nullum studium seu cellam ad legendum vel studendum alicuius Fratris volumus esse, nisi portarii, qui talis sit, de quo nulla auspicio oriatur.

## ADDITIO

Circa tricesimum sextum capitulum de Studentibus addicimus quod nulla Provincia possit mittere ultra duos Studentes Parisius, sine speciali licentia Generalis Prioris. Per hoc tamen non intendimus excludere Provinciam Franciae a gratiis hactenus sibi factis.

Nec aliquis ibi stare possit ad provisionem Provinciae nisi per tres annos, nec ad expensas suas ultra quinquennium.

Prior autem Provincialis non mittens Studenti Parisius, ante Nativitatem beatae Virginis Mariae, provisionem, casum suspensionis ab officio incurrat ipso facto, nisi constet quod per

<sup>84</sup> VERODUN.: *Final:* ... sine ulla misericordia quarta et sexta feria manducabit.

<sup>85</sup> VERODUN.: ... excommunicatos ab eis vitent. Monentes Piores Provinciales ut Praelatos personaliter debeat visitare, qui in suis partibus commorantur...

<sup>86</sup> VERODUN. *Omitido:* Ordinent etiam quod .. in cantu doceri.

<sup>87</sup> VERODUN.:... in pane et aqua debeat ieunare infra annum.



eum non stetit, quo minus dicta provisio transmittatur. Et ideo si quando dicta Capitula sic tarda et propinqua dicto festo celebrari contigerit, quod eadem provisio ante praedictum tempus colligi non possit, nec mitti, praeveniatur impositio collectae huiusmodi in Capitulo praecedenti, vel pro provisione Studentium mutuo accipient, ita ut omnino in praedicto termino, semper dicta provisio Parisius mittatur.

Nullus autem Studens definiri possit ad parisiensem Studium, vel licentiarri pro Lectore citra Parisius, nisi prius in aliquo Studio, vel loco sibi per suam Provinciam deputato, legerit saltem unum librum novae Logicae; quod si veterem Logicam velit legere, Logicam totam pro uno libro, et unum in Philosophia, exceptis parvis naturalibus, nisi omnia parva naturalia legat pro uno libro; et nisi unum saltem sermonem ad clerum fecerit in Capitulo provinciali Provinciae sua, vel in aliquo Studio generali. Etiam nihilominus per Vicarium Provinciale et Definitores Capituli in quo definiendus est, per se vel per alios de ipsorum mandato, examinandus sit de scientia et de vita, secundum tenorem Constitutionum. Aliter definientes sint voce privati, et definitio nulla.

Item nullus Studens, qui de Parisius recedit, provisionem recipiat nisi pro eo tempore, quo fuerit Parisius in Studio commoratus, et si quis ultra hoc quicquam receperit, voce careat, donec illud Provinciae a qua recepit restituat integraliter.

Insuper districtius inhibemus, ne quis Studens licentietur ad officium Lectoriae, nisi sit vitae laudabilis et sufficientis literatura in Logica, Philosophia et Theologia; mandantes illis ad quos pro tempore spectaverit examinare et licentiare Lectores, quatenus sine omni dolo et fraude, ipsi examinando assignent lectiones in Logica, Philosophia et Theologia, ita quod pro qualibet lectione non habeat nisi unam diem, praeterquam pro tertia, pro qua, ratione quaestionis disputandae, dari sibi poterunt tres dies. Cui quidem examini intersint Magistri, Baccalarii, et omnes Lectores praesentes in loco, et super conscientiis suis deponant singuli de sufficientia scientiae et honestate vitae examinati. Quorum omnium vel maioris partis eorum dispositioni, ipse debens licentiare se poterit conformare.

Addentes quod si talis debens licentiare, contra praescriptam formam in assignando lectiones dolum et fraudem commiserit, sit ipso facto excommunicationis vinculo innodatus.

Volumus etiam ut nullus deinceps Studens Lector fiat qui, quantumcumque sufficiens fuerit, unum sermonem ad clerum non fecerit, et ad unam antea non responderit quaestionem.

Statuimus quoque quod in qualibet Provincia ordinetur saltem unum Studium provinciale, in quo Lector sufficiens per triennium cum Studentibus suis perseveraturus deputetur, qui totam Logicam cum tractatibus, infra idem triennium, perficiat; continuando lectiones, et alia introductory exercitia per totum annum. Et talis Lector eandem provisionem recipiat quam habent Lectores Studii generalis, cuius medietatem solvet Provincia, et aliam medietatem Conventus. Cui etiam Lectori computabitur idem triennium, ac si legerit in Studio generali, quoad vocem perpetuam et electionem habendam, si postmodum per aliud triennium legerit in Studio generali. Si vero modo quo dictum est non continuaverit, provisione et voce praefatis sit privatus, et alias subrogetur.

Praeter praedictum Studium, volumus quod in Provinciis, in quibus loca ad hoc sunt apta et Studentium copia fuerit, ordinetur unum aliud Studium, vel plura, secundum possibilitatem Provinciae, in quo vel quibus legatur Philosophia per unum vel duos Lectores, iuxta Conventuum facultates.



Item ordinamus insuper quod quaelibet Provincia habeat unum Studium generale, in quo sint ad minus duo Lectores, qui Logicae, Philosophiae et Theologiae continuent lectiones, secundum nostri Ordinis instituta.

Item praecipimus quod nullus Frater nostri Ordinis, quamdiu fuerit Prior Provincialis sive localis, possit esse Lector, seu legere in aliquo Studio, seu loco Ordinis, nec intra suam Provinciam nec extra.

Inhibentes ne quis Studens possit mitti ad Studium generale qui non prius per triennium steterit in aliquo Studio provinciali et ibi in Logica profecerit competenter; et ne per Provincias vacantibus permutationes et cambia fieri valeant; nec Studens aliquis in Studio generali uno vel diversis ultra quinquennium stare possit; nec studentes in Studiis suis, sive generalibus sive provincialibus sive quibuscumque aliis Studiis, vocem alicubi in electione habeant, etiam si tempore electionis essent in propriis suis Conventibus. Volumus tamen quod in electione Prioris, Subprioris, Procuratoris, Sacristae, Magistri operum, ac etiam Celararii Conventus parisiensis, quos per electionem constitui volumus, cuiuslibet Provincia Ordinis studens unus, antiquior in Studio parisiensi existens, vocem habeat. Et si duo de eadem Provincia, in antiquitate Studii aequales fuerint, antiquior in Ordine vocem habebit in electione praedicta.

Item studens in Studio generali, se absentans a Studio suo ultra mensem in eadem Provincia, sive ultra duos menses in aliena Provincia, dicto Studio sit privatus. Studens vero Parisius se absentans sub spe revertendi, non minus, solvat de bursa seu provisione dicto Conventui, quam si fuerit praesens.

Sane Conventus Studiorum generalium Studentibus Provinciarum in calceamentis et lumine, ac etiam in infirmitate teneantur solummodo providere. Provisionem autem vestimentorum quilibet Studens recipiat a Conventu sua originis, quam provisionem ad unum florenum taxamus, ad minus. Et quicumque Prior eum non solverit ante Nativitatem Christi annuatim, per Provinciale de bonis suis personalibus solvere compellatur, et voce careat etiam dictus Prior in omni electione fienda in Capitulis provincialibus, donec saepedictam provisionem de bonis sibi concessis ab Ordine integre persolverit Studenti praelibato. Super quo Provincialis sub eadem poena solcite inquiret teneatur.

Volumus siquidem quod de Studentibus, citra Parisius, in Studiis generalibus vel etiam provincialibus, si reperiantur aliqui in Studio adeo desidentes et negligentes, quod lectiones et disputationes et alios actus scholasticos ex consuetudine non frequentent, seu alias inepti et discoli inveniantur, tales per Priorem et Lectores de Studio expellantur.

Item insuper statuimus quod Lector qui ad minus quatuor vicibus in septimana non legerit, continuando tempus secundum quod est in Constitutionibus determinatum, nullam provisionem quocumque modo a Conventu nisi sicut aliis recipiat conventionalis. Per hoc tamen non intendimus quod Lectores Studiorum generalium et provincialium, non teneantur ultra quam ad quatuor lectiones in hebdomada, sed ipsi continuabunt lectiones Logicae et Philosophiae per totum annum, lectionem vero Theologiae continuabunt secundum formam Constitutionum.

Item in nullo Studio generali, praeter principalem, etiam si principalis fuerit Magister vel Baccalarius sacrae Theologiae, sint plures Lectores quam duo secundarii. In Studiis igitur ubi duo sunt secundarii Lectores, ambo legant Sententias alternatim, unus uno anno, et aliis alio anno; ita quod primo nominatus incipiat. Et quilibet eorum sit media provisione annuali et



septimanali contentus. Volumus etiam quod quilibet istorum Lectorum secundariorum, infra annum legat duos libros Sententiarum, ita quod infra biennium compleantur quatuor libri Sententiarum. Contrarium faciens, sit voce et provisione privatus.

Item mandamus quod si quis sufficienter convictus fuerit insistere doctrinis peregrinis et suspectis, quae sunt scandalum simplicium, et fidei laesionem, si Studens, studio; si Lector, lectoria; si Baccalarius, praesentatione; si Magister, magisterio sit privatus.

Constitutionem vero dantem Lectoribus vocem in Capitulo provinciali, restringimus ad Baccalarios et Biblicos parienses, ac Lectores actu legentes, secundum formam Constitutionum; et qui per duo triennia legerit in Studio generali, vel per unum triennium in Studio generali et per aliud in Studio provinciali; et qui fuerint Definitores Capituli generalis; necnon qui fuerint Procuratores Ordinis in Romana Curia, vel Socii Prioris Generalis, dummodo Lectores fuerint iam dicti. Ceteri vero habeantur in omnibus sicut ceteri Fratres de Conventu.

Praeterea ad lecturam Sententiarum nullus incarcерatus, vel de toro illegitimo natus promoveatur.

Volentes quod honores et onera in nostro Ordine aequaliter dividantur alternando lecturam Sententiarum et Bibliae inter citramontanos et ultramontanos, et inter ceteras nationes, prout ordinatum fuit in definitione generalis Capituli Montispessulani, hoc excepto, quod Provincia Franciae habeat septimum Baccalarium per ordinem definiendum, secundum quod fuit Parisius in ultimo Capitulo definitum.

Item ordinamus quod lecturus Sententias, possit sine contributione bursiae stare Parisius per unum annum ante inceptionem, et Biblicus per sex menses.

Insuper statuimus quod nullus procuret aliquid quod sit in impedimentum expeditionis Baccalarii Praesentati, nec utatur aliquis bulla impetrata pro magisterio, nisi de consilio Magistrorum, vel Magistri si solus sit, qui sic ordinet quod per hoc non impediatur Praesentatus, alioquin tam procurans litteras, quam Magistri obligantes iudicium, eo ipso sententiam excommunicationis incurvant.

Volumus denique quod in loco nostro parisiensi, semperstent duo Magistri, et quod Magister recedens de Parisius, locum habens assignatum, expensas itineris et vecturae sic accipiat, ut tertiam partem a Conventu suae originis, tertiam partem a sua Provincia, et tertiam a Conventu sibi assignato. Si autem non habeat Conventum assignatum, medietatem recipiat a sua Provincia, et medietatem a Conventu suae originis. Cum vero existenti in Provincia, locus ei extra Provinciam deputatur, medietatem expensarum decentium, recipiat a Provincia illa, ad quam vadit, et aliam medietatem a Conventu ei deputato. Et idem volumus fieri circa Lectores, qui ad generalia Studia, extra suas Provincias destinatur.

Item volumus quod quilibet Magistrorum pro annuali vestimenta suo a Conventu, ubi conventionalis existit, recipiat octo florenos et a communitate Provinciae quatuor. Nolumus tamen Magistros, Baccalarios seu Lectores, septimanalem provisionem recipere a Conventu, nisi quando actu sunt in ipso. Quam etiam provisionem sic taxamus, quod Magister in septimana recipiat unum turonensem cum dimidio; Baccalarius, illius medietatem; Lector vero, medium turonensem; et quilibet secundariorum ubi plures sunt secundarii, medietatem illius.



Item statuimus quod Magister parisiensis vocem habeat in electione Generalis et Provincialis et in definitoribus Capituli generalis et provincialis. Similiter et in provincialibus Capitulis Provinciarum ubi conventualis existit, et de qua est oriundus idem etiam intelligimus de Magistris factis per Summum pontificem, quorum habent privilegia, quod aequantur in omnibus gratiis Ordinis Magistris parisiensibus, ac etiam de illis Magistris quibus Definitores Capituli generalis duxerint concedendum.

Volumus etiam quod praeter officiales Provinciae Angliae duo Magistri in sacra pagina eiusdem Provinciae antiquiores qui erunt in Capitulis generalibus, tam in electione Generalis Prioris, quam in definitorio eiusdem generalis Capituli, sicut Magistri parisienses, in omnibus admittantur, et vocem habeant cum effectu. Quodque cum predicti Magistri vadunt ad generalia Capitula expensas habeant a Provincia in qua commorantur.

Si autem Magister existens Parisius, qui non regit actu iverit ad Capitulum generale, Parisius reversurus, expensa per ipsum facta, a communitate Ordinis persolvatur. Si autem ipsum non contingat reverti Parisius, tunc fiat de eius expensa sicut supra dictum est de Magistris recedentibus de Parisius.

Et in Conventu Studii generalis Regens magister possit habere duos Studentes, unum de iure et alium de gratia, ac unum Conversum vel famulum, cum duobus sociis tantum, et unum scriptorem, qui tantum vitam comunem recipiant a Conventu. Baccalarius autem unum Studentem de debito.

Volumus etiam quod Magister existens Parisius, uno socio Studente et Converso vel famulo sit contentus. Quilibet etiam Magister possit eligere in sua Provincia unum locum, ubi non sit Studium generale, in quo de capite et familia eius consilium habeatur.

Item inhibemus ne aliquis Frater nostri Ordinis indulgentiam domini Papae Alexandri quarti sub certo et determinato numero annorum vel dierum audeat pronunciare. Contrarium faciens per suum Superiore, poenam gravioris culpea per mensem pro qualibet vice sustinere compellatur. Et eidem poenae subiaceat, qui in suis sermonibus contra Praelatos Ecclesiae in communi vel in speciali, aliquid praedicare, vel immiscere aliquid quod nostri Ordinis non congruat honestati.

## CAPITULUM XXXVII

### DE LIBRIS HABENDIS AD USUM CHORI

367. Negligentia sane et desidia aliquorum, qui damnabiliter desiderant et appetunt praesse potius quam locorum opportunitatibus et indigentiis subvenire, loca plura nostrae Religionis, ex nimia paupertate et nuditate librorum, paramentorum, calicum et aliarum rerum, quae ad divinum cultum et ornamentum Ecclesiae et loci Religionis pertinent, sunt omni populo in derisum. Igitur, universis Prioribus locorum nostrae Religionis stricte praecipimus et mandamus, ut quilibet ex eis pro posse solicite studeat et procuret, ut in loco sui prioratus sit ad minus unum bonum Missale conventuale et duo pro Missis votivis, et unum bonum Epistolarium, et duo bona Antiphonaria, scilicet diurnum et nocturnum, et unum Sequentiale, et Ordinarium secundum Ordinem nostrum, et Hymnarium notatum. Et ad minus unum bonum Psalterium ordinatum, et unum Manuale seu Collectarium competentis



voluminis, in quo sint Orationes omnium Horarum et Capitula totius anni. Et in tali libro Hebdomadarius in choro existens videat suum Capitulum, et debitam seu debitas Orationes dicat<sup>88</sup>.

368. Item habeat duos calices de argento ad minus; et in alio calice quam de argento nullo modo Frater aliquis sacrificet, nisi forte quandoque ex casu hoc vitare sine scandalo non possit.

369. Item unum Lectionare, in quo de nocte legantur Lectiones debitae, secundum Rubricam Officii Romanae Curiae, quod tenet et observat noster Ordo. Item habeat Regulam beati Augustini expositam.

370. Prior insuper, antequam officium prioratus relinquat vel removeatur ab eo, libros praedictos omnes diligenter et solcite corrigi et punctari faciat ad exemplar aliquod bonum et verax, quod Prior Provincialis de quocumque loco Provinciae, sibi, ad suam requisitionem, commodari faciat, si alias non potest tale exemplar commodius inveniri. Quod si in fine sui officii praemissi libri remanserint incorrepti, provisionem vestimentorum, illius anni nullam omnino recipiat, et sexta feria in pane et aqua ieiunet; et in loco illo conventualis remaneat. Et eidem Prior Provincialis imponat ut una cum Priore vel cum aliis, quos ad hoc Prior deputabit, libros praefactos corrigat, et nihilominus sexta feria in pane et aqua ieiunet, donec fuerint prae nominati libri correcti. Et hoc inter celera faciant Prior Provincialis et Visitatores inviolabiliter observari. Quod si ipsi hoc observari non fecerint, per Generalem vel Provincialem sibi in officio succedentem acriter puniantur.

371. Pro posse denique studeat ipse Prior, ad commoditatem Praedicatorum in ipso loco existentium, habere Biblam, et Historias et Legendas Sanctorum; et semper serventur ad commoditatem Praedicatorum copiam librorum non habentium.

372. Ne autem quae prudentia et fidelitas unius probi viri cum labore et solicitudine ad opportunitatem alicuius loci invenerit, alias, minus fidelis et solitus, negligenter et damnabiliter dilapidet et dispergat, omnibus et singulis Prioribus stricte praecipimus et mandamus, ut nullus ex eis calicem aliquem loci in quo steterit, seu librum, paramentum seu altaris pannum vendat vel pignoret, seu alienare modo aliquo praesumat. Qui enim aliquam de praedictis rebus vendiderit, pignoraverit, vel modo aliquo alienaverit, nisi forte illam in aliam similem rem et meliorem, de consensu tamen Fratrum suorum, commutando alienaverit, rem ipsam alienatam, per Priorem Provincialem redimere, et loco liberam et expeditam reddere, vel aliam aequa bonam, si ipsa res haberi non possit, infra duos menses postquam ad dictum Provinciale notitia pervenerit, penitus compellatur, et per duos menses poenae gravioris culpae subiaceat, et voce careat, donec res loco, sine ipsius loci damno vel detimento, sit integraliter restituta.

373. Provincialis quoque, ut de praemissis vel aliis rebus, Prioris solicitudine acquisitis vel eius desidia dispersis et distractis, cognitionem plenam habere possit, coram omnibus Fratribus de Conventu, de eis in omni loco diligentem inquisitionem faciat, et ipsas res personaliter cum aliis Fratribus videat. Et si quid invenerit de dictis rebus distractum vel alienatum, alienantem modo praedicto corrigat, et ipsum ad restitucionem rei alienatae omnino constringat. Quod si praedicta Prior Provincialis neglexerit observare, Visitatores, qui de hoc habent diligenter inquirere et investigare, Priori Generali, si in illis partibus est, alioquin

---

<sup>88</sup> nn. 367-374 = Cap. 37, VERODUN. *Omitido.*



Definitoribus Capituli provincialis, significant, ut ipsi Provinciali poenitentiam praemissam iniungant, quam statim, completo officio suo, sine diminutione observet.

374. ítem Piores locorum, quae in magnis et famosis terris sita sunt, studeant omnino in sacristia vel in aliqua parte dormitorii habere bonum et securum armarium, in quo reponantur libri loci, qui non sunt deputati ad continuum usum chori et officii Ecclesiae. Et studeant tenere, pro possibilitate loci, unum vel plures scriptores, qui scribant ad opus Conventus libros, ad usum Lectorum, Praedicatorum et Studentium necessarios. Scriptorem autem ad expensas loci nullus tenebit in aliquo loco nostri Ordinis, sine expressa licentia Prioris et Conventus, et, dato quod talem licentiam quis obtineat, inhibemus districte, ne ipse scriptor infra septam loci dormiat, nec ad aliqua secreta loci intromittatur vel officinas.

#### ADDITIO

Circa tricesimum septimum Capitulum de libris addicimus quod quicumque aliquem librorum, ad armarium vel librariam pertinentium, seu etiam redditus alicuius Conventus alienare, distraere seu impignorare praesumpserit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat, ipse et omnes qui ad hoc faciendum praestiterint licentiam aut consensum, et nihilominus per Provincialem ad restitutionem valoris librorum vel reddituum distractorum de rebus personalibus solvere compellatur.

### CAPITULUM XXXVIII

#### DE FORMA CELEBRATIONIS CAPITULI GENERALIS

375. Generale Capitulum de triennio in triennium fieri volumus et mandamus loco et die determinatis per Definitores praecedentis Capituli generalis.

376. Statuimus ut si Capitulum ipsum generale fieri debeat die Dominico, vel in aliquo solemni festo dupli vel semidupli, quod omnes Fratres qui venire debent iuxta Ordinis instituta, sexta feria vel die praecedenti vigiliam, simul debeant ad locum Capituli, communis omnium Fratrum procurandae salutis causa, congregari ad dictum Capitulum celebrandum. Et sequenti die, dicta Prima summo mane, Missa de Spiritu Sancto celebretur. Qua celebrata, ad signum quod Prior Generalis fieri mandabit, omnes Fratres convenient ad Capitulum et, ibidem devote stantes, primo invocent Spiritum Sanctum cantantes Hymnum *Veni, Creator Spiritus*, genibus flexis ad illas tres dictiones, Priore vel alio cui innuerit inchoante et ceteris prosequentibus, cum finali versu *Sit laus Patri. Emitte. Spiritum. Et renovabis*. Deinde dicat Prior: *Domine, exaudi. Dominus vobiscum. Oremus. Oratio. Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere et de eius semper consolatione gaudere. Actiones nostras, quaesumus. Domine, aspirando praeveni et adiuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur*. Per Christum Dominum nostrum.

377. Post haec, sedentibus omnibus, Priore primo et ceteris post eum, et Definitoribus hinc inde iuxta eum, dicat Prior: *Benedicite. Domine*. Et Prior: *Dominus nos benedicat, etc.* Statim fiat sermo in communi, quem faciet ipse Prior vel alius de mandato eius suscepta



benedictione prius ab eodem, nisi ibi fuerit Praelatus aliquis maior eo. Finito quoque sermone, obitus Fratrum, et familiarium propinquorum et benefactorum Ordinis nostri defunctorum in ipso triennio recitetur<sup>89</sup>.

378. Inde dicat Prior: *Pro fidelibus defunctis dicamus: Psalmus. De profundis eum Requiem aeternam. Pater noster. Et ne nos. A porta. Requiescant. Domine, exaudi. Dominus vobiscum. Oremus. Absolve, quaesumus, etc*<sup>90</sup>.

379. Quibus sic gestis, sedeant omnes de corpore Capituli, aliis omnibus quibuscumque egressis. Et ante omnia Generalis Prior, cuius vita esse debet aliis in exemplum, ne de ambitione et concupiscentia praelationis notari possit, quod in religioso est detestabile cogitare et detestabilius opere adimplere, sigillum generalatus officii Definitoribus ipsis resignet, et ab ipsis instanter gratiam et misericordiam absolutionis ab officio petat<sup>91</sup>.

380. Facta itaque sigilli resignatione et absolutionis gratia et misericordia postulata, coram Definitoribus et Discretis se prosternat, et erectus ad vocem antiquioris Definitoris, humiliter et simpliciter confiteatur culpas suas. Et si aliquis eum proclamaverit, cum omni mansuetudine et humilitate illum audiat. Completa quoque sua culpa exeat Capitulum, et ipsi Definitores et Discreti, eo egresso de Capitulo, diligenter et sollicite vitam et merita ipsius inquirant, considerent et discutiant, et si eum dignum, et sufficientem, ac promptum, sollicitum et fidelem invenerint ad omnia et singula, quae ad vitam et bonum regimen totius Ordinis requiruntur, et alia in eo non inveniantur, propter quod sit secundum Constitutiones Ordinis absolvendus, gratias Deo referentes, poterunt ipsum laudabilius in regimine officii retinere, quam ad novam electionem faciendam procedere<sup>92</sup>.

381. Si ergo, secundum ea quae dicta sunt, talis inveniatur, quod expediat Ordini ipsum in officio remanere, ad aliam electionem de eo faciendam non procedatur, sed ipse ut prius suum officium proseguatur, nam prima electio, non obstante resignatione sigilli, in sua firmitate manet, donec officio renuntiaverit, et Definitores vel maior et sanior pars eorum, eius renuntiationem acceptaverint<sup>93</sup>.

382. Si autem, considerata ipsius conditione et vita, videatur ipsis Definitoribus vel maior et sanior parti ex eis, quod non sit idem Generalis ulterius in generalatus officio tolerandus, quia, ut dictum est, non invenitur sufficiens vel alias de aliquo casu, propter quod absvolvi debet secundum Ordinis instituta, probabiliter est convictus, statim ad requisitionem Definitorum vel maioris et sanioris partis ex eis, officio generalatus renuntiet, et ipsi Definitores vel maior et sanior pars ex eis dictam renuntiationem acceptent et eum inmediate

<sup>89</sup> VERODUN.: ... dicat Prior: *Benedicte. Et responso ab mnibus Domine, fiat sermo in communi...*

<sup>90</sup> VERODUN.: Et ex tunc Fratres surgentes dicant Psalmum *De profundis...* *Oremus. Absolve, quaesumus. Domine, animas Fratrum, familiarum, propinquorum et benefactorum nostrorum ab omni macula delictorum, ut in resurrectionis gloria inter sonctos et electos resuscitati respirent. Fidelium (la oración completa). Qui vivis, etcetera.*

<sup>91</sup> VERODUN.:... Et ante omnia Generalis Prior sigillum generalatus officii Definitoribus resignet, si ipsa cessionis receptio eis fuerit ab Apostolica Sede commissa. Alioquin in manu alicuius cedet, cui Summus Pontifex duxerit committendum.

<sup>92</sup> VERODUN.: Facta igitur cessione coram Definitoribus et Discretis, se prosternet et, erectus ad vocem illius Definitoris qui in Ordine fuerit primus, humiliter et simpliciter confiteatur culpas suas. Et si aliquis vel aliqui eum proclamaverint, cum omni mansuetudine et humilitate audiat illum vel illos; vel usque ad capitulum de culpis eius culpa differatur, in toto vel in parte, si Definitoribus videbitur expedire. Completa culpa sua, exeat Capitulum, et ipsi Definitores et Discreti celebrent electionem de Generali Priore, ipso mane, ante cibum, secundum formam infrascriptam in sequenti capitulo.

<sup>93</sup> nn. 381-383, VERODUN. *Omitidos.*



ab officio praedicto absolvant, et statim ad electionem Prioris Generalis celebrandam, ante cibum, secundum formam in sequenti capitulo scriptam, procedant.

383. Ipsi quoque Definitores, qui Priorem Generalem, suis exigentibus culpis, ut dictum est, a generalatus officio absolvunt, inmediate post ipsam absolutionem sibi praecipient, ut de eo ulterius nullatenus se intromittat; et eo ipso quod sibi inhibit, vel etiam oppositus ac probatus aliquis de infrascriptis casibus sibi fuerit propter quod absolvi debeat, sit ipso facto a generalatus officio absolutus, et omni administratione et executione prorsus dicti officii sit privatus.

384. Electus sane Generalis sedeat, et dicat: Agamus de culpis. Si vero electus praesens non fuerit, unus antiquior de Definitoribus, quem alii Definitores praeponant, dicat: *Agamus de culpis*, et ex tunc, in accusatione et proclamatione culparum observetur modus qui in conventionali Capitulo praecipitur observari, excepto quod in hoc Capitulo et in provincialibus proclamatus ad culpam poterit eadem die eum, a quo clamatus est, proclaimare, quod in conventionali Capitulo fieri non licet, nisi cum Provincialis et Visitatores insistunt suae visitationis officio, vel nisi necessitas hoc requirat. Culpas vero omnes, et accusations sive proclamations et excusationes Fratrum redigi faciant in scriptis, ut tam super his quam super petitionibus porrigendis deliberationem habeant diligentem.

385. Auditis culpis, Fratres omnes qui in loco fuerint, ad Capitulum convocentur, et, si qui petitiones aliquas Definitoribus dare voluerint, porrigant eas eis eadem die vel sequenti usque ad Tertiam scituri quod ultra alicui dare petitionem aliquam non licebit.

386. Definitores vero, susceptis petitionibus, secedentes in remotiorem partem loci cum Generali, si praesens fuerit, tam super culpis quam super petitionibus datis eis cum omni diligentia et maturitate deliberent atque definiant, uno solo loquente de licentia Generalis, vel antiquioris Definitoris si electus praesens non fuerit. Definitores autem petitiones, gravamina tangentia alias Provincias continentis, Vicario seu Provinciali et Definitoribus Capitulorum provincialium difinienda relinquunt, unde sunt ipsi Fratres qui petitiones huiusmodi porrexerunt.

387. Dum ergo definitionibus insistitur, Generalis unum aut duos Fratres, quos Correctores vocamus, viros discretos, instituat, qui negligentes, die noctuque, in Ecclesia et ubique sollicitent, et inquietos in Capitulo increpent et emendent. Et eisdem omnes humiliter oboediant, salvo Generalis et Definitorum mandato.

388. Definitores vero Capituli generalis de corpore Constitutionum demere et mutare, ac Constitutiones novas facere poterunt, si eorum providae deliberationi videbitur expedire; ita tamen, quod Constitutio facta in uno Capitulo generali robur non habeat, nisi in sequenti Capitulo generali per Generalem et Definitores fuerit approbata. E converso, nec aliqua Constitutio firmata possit anichillari, vel infirmari nisi per duo continua Capitula generalia fuerit immutata.

389. Ad generale Capitulum illi soli vadant, qui ad illud electi fuerint secundum Ordinis instituta, et quibus Prior Generalis licentiam dederit. Licebit autem alicui Conventui, si negotium aliquod magnum et arduum habuerit, ad Capitulum ipsum, cum suis litteris testimonialibus, aliquem de suis Fratribus destinare. Qui autem contra hanc formam ire praesumpserit, aut si quis electus fuerit ut ad ipsum vadat, si iuridicam et patentem causam excusationis non habeat, omiserit ire, secundum arbitrium Generalis et Definitorum, tam illi quam isti graviter puniantur.



390. Praeterea, statuimus et praecipimus firmiter observari ut si Fratres aliqui, sicut ex institutione Ordinis nostri ire tenentur, ad Capitulum generale non iverint, quod Fratres qui ad Capitulum ipsum convenerint, etiam si fuerint absentibus pauciores, dummodo adsit praesentia Generalis Prioris, ipsum Capitulum possint et debeant celebrare. Et quidquid in ipso Capitulo ordinatum vel statutum fuerit universitas Ordinis observare per omnia teneatur.

391. Si autem Definitor, qui ad Capitulum ipsum ire debet, intra vel extra Provinciam suam mori contigerit vel graviter infirmari seu impediri, Prior Provincialis et Definitores praecedentis Capituli, si commode in unum convenire possunt, alium eligant loco eius; alioquin unus ex Discretis, in Ordine antiquior, in omnibus teneat locum eius.

392. Nulli enim in Definitorum electo sive in Discretum Capituli generalis vel provincialis, qui morte seu infirmitate vel quocumque alio casu impeditus ad ipsum Capitulum non iverit, liceat alicui committere vocem suam, sed soli qui praesentes fuerint vocem habeant in electione Generalis. Et hoc idem volumus in omni electione, in qua vota Fratrum requiruntur, penitus observari.

393. Postquam vero tam super culpis quam super petitionibus et aliis omnibus plene deliberaverint, Capitulum convocent, et quidquid statuerint seu definiverint unus eorum legat coram omnibus, nisi forsitan aliquid ordinaverint faciendum, quod tunc expediat haberri secretum.

394. Deinde fiant correptiones, in quibus nullus, quicumque sit ille, Generalis et Definitorum iudicio contradicat, nec ab eorum definitionibus, seu sententiis aut praecepsis appellat. Insuper eisdem Definitoribus Generalis ipse quantum est ad correctionem et emendationem suam, humiliter oboedire debeat. Quia, etsi Pater Ordinis excellentia singularis praelationis, Frater tamen est parvis voto professionis.

395. His autem omnibus expeditis, fiant recommendationes, et primo Summi Pontificis, et Fratrum suorum, et Diocesanorum, st Praelatorum omnium gratiam et communionem Apostolicae Sedis habentium. Deinde Regum, et Principum et Baronum christianorum Romanae Ecclesiae faventium, et benefactorum omnium utriusque sexus Ordinis nostri vivorum. Et iniungantur speciales Missae et Orationes pro Summo Pontifice, et Collegio Cardinalium, et pace et tranquillitate Sacrosanctae Romanae Ecclesiae, et etiam pro vivis et mortuis benefactoribus nostrae Religionis, atque mandetur ut per omnia loca Ordinis ad executionem ducantur.

396. Facta recommendatione, surgant omnes et dicant Psalmum *Ad te levavi cum Gloria Patri*. Deinde dicat Generalis vel alias cui ipse innuerit: *Oremus pro Domino Papa. Dominus conservet eum, etc. Salvos fac servos tuos. Deus meus, etc. Domine, exaudi. Dominus vobiscum. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, praetende super famulum tuum N. et super cunctas congregaciones illi commissas spiritum gratiae salutaris, et, ut in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuae benedictionis infunde. Praetende, Domine, misericordiam tuam famulis et famulabus tuis, dexteramque caelestis auxili, ut te toto corde perquirant, et quae digne postulant consequantur. Per Christum.*

397. Generalis autem vel unus Definitorum pronuntiet ubi et quando debeat sequens Capitulum celebrari. Quo facto, Cantor incipiat alte *Te Deum laudamus*, et omnes processionaliter ad Ecclesiam vadant. Et, completo Hymno, Generalis dicat: *Salvos fac servos. Mitte eis auxilium. Domine, exaudi. Dominus vobiscum. Oremus. Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et viam famulorum tuorum in salutis tuae prosperitate dispone, ut*



*inter omnes viae et vitae huius varietates, tuo semper protegantur auxilio. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

398. Qua finita, dicat Generalis: *Adiutorium nostrum*. Et tunc facta Confessione et Absolutione, det eis benedictionem, dicens: *Benedictio Dei Omnipotentis, Patris, et Filii et Spiritus Sancti descendat super vos, et maneat semper*.

399. Deinde Fratres ad loca sibi assignata in nomine Salvatoris recedant.

### ADDITIO

Circa tricesimum octavum capitulum de celebratione Capituli generalis addicimus quod in quolibet loco nostro Ordinis, non solum in vigilia, sed etiam in vigilia vigiliae Capituli generalis, Missa de Spiritu Sancto solemniter celebretur. Et quod in loco convenienti altare ordinetur, ubi Definitores omnes cum Patre nostro Generali, omni mane, antequam aliquid tractare incipient, Missam audiant, in communi, nisi illa die sint in Missa conventuali.

Item quod Prior Generalis resignet sigillum, et reddat rationem Definitoribus de omnibus receptionis et expensis illius triennii, et hoc idem per se, vel per alium faciat Ordinis Procurator.

Praeterea statuimus quod nullum Capitulum generale vel provinciale possit aliquid definire, nisi sint omnes Definitores simul, hoc extendentes ad Definitores Capituli provincialis.

Nec aliquis deducat ad Capitulum generale vel ad Generalem quaestiones sive causas, quae per Capitulum provinciale vel per Provinciale poterunt expediri. Secus faciens non audiatur, et pro temeritate sua puniatur. Prior vero Provincialis, qui quaestiones seu causas subditorum suorum coram se deductas, quae per eum possunt expediri aut expedienter terminari, et suo defectu vel negligentia, ad Capitulum generale vel ad Generalem deduci fecerit vel permiserit, voce sit privatus, et per triennium ad omnem curam animarum ineligibilis sit ipso facto. Idem praecipimus conformiter de Prioribus localibus, si deferunt ea quae per ipsos poterant expediri ad Provinciale sive ad Capitulum provinciale.

## CAPITULUM XXXIX

### DE FORMA ELECTIONIS PRIORIS GENERALIS OBSERVANDA

400. Congregatis in Capitulo Fratribus qui sunt de corpore Capituli generalis ad signum campanae Capituli, si ipsi Fratres electores per formam scrutinii eligere volunt, procedant ad electionem in hunc modum.

401. Primo eligant ex se ipsis, non per scrutinium sed publice, in communi, tres Fratres, religiosas et graves personas, qui audiant et conscribant scrutinium de electione Prioris Generalis celebranda. Et modus eligendi tres supradictos Fratres talis erit: unus de Definitoribus, in Ordine antiquior vel quasi antiquior, incipiat ab uno capite voluntatem singulorum exquirens, dicendo coram omnibus: Frater N., quos tres Fratres de praesentibus vis pro Scrutatoribus? Et sic procedat usque ad ultimum. Et illi tres Fratres, in quos maior pars concordaverit, erunt Scrutatores.



402. Deinde, illi tres Fratres sic electi seorsum sedeant, ita quod ab omnibus videri possint et non audiri, et unus ex eis vota omnium scribat, ita quod primo vocem suam, postea sociorum, deinde aliorum omnium singulariter ad eos accedentium. Et dicat quilibet de electoribus in hunc modum: Ego, Frater N., Provincialis talis Provinciae, consentio in Fratrem N. de tali loco, eligendum in Generalem Priorem Ordinis nostri. Et scribat scriptor vota omnium<sup>94</sup>.

403. Completoque scrutinio, unus de Scrutatoribus praedictis, coram omnibus de praefato Capitulo, mox illud publicet. Quod si statim publicatum non fuerit, ex quacumque causa fuerit dilatio, ut electio omni ambiguitate careat, scrutinium iterum repetatur. Et eo publicato, si maior pars electorum de aliquo Fratre concordaverit, ille qui vota huiusmodi publicaverit, de voluntate expressa omnium de ipso Capitulo, statim illum, in quem maior pars electorum consenserit, in Priorem Generalem eliget, sic dicendo: In Dei nomine. Amen. Ego, Frater N., Spiritus sancti gratia invocata, nomine meo et nomine et vice omnium ad quos spectat electio Generalis Prioris Ordinis nostri, et de voluntate et auctoritate omnium, eligo in Priorem Generalem Ordinis nostri Fratrem N. de tali loco<sup>95</sup>.

404. Quam electionem sic publicatam omnes requisiti acceptent, et ille sic electus Generalis Prior ab omnibus habeatur. Et statim, *Te Deum laudamus* cantantes, ad Ecclesiam processionaliter vadant.

405. Si vero electores ipsi in partes aequales se divisorint, repetatur scrutinium, donec pars maior ipsorum electorum in aliquem concordaverit, vel per formam eligant compromissi. Compromittantur in aliquos ex eisdem de voluntate omnium, vel in alias de Ordine nostro tantum. Qui, vice sua et eorum ad quos ipsa spectat electio, provideant de Generali Priore; ita ut, postquam concordes fuerint, eligatur unus ex compromissariis, qui eligat in haec verba: Ego, Frater N. de tali loco, de voluntate et auctoritate compromissariorum meorum, et omnium ad quos spectat electio Generalis Prioris Ordinis nostri, Spiritus sancti gratia invocata, eligo Fratrem N. in Priorem Generalem Ordinis nostri.

406. Et si forsitan de aliquo, per divinam inspirationem, sine vitio, fuerit electio celebrata, iste talis Generalis Prior Ordinis habeatur, et in hoc casu surgat unus, qui vice omnium electionem celebret, sic dicendo: Ego, Frater N., vice et auctoritate omnium ad quos spectat electio Generalis Prioris Ordinis nostri, eligo Fratrem N. in Generalem Priorem Ordinis nostri<sup>96</sup>.

<sup>94</sup> VERODUN.: ... in hunc modum: Ego Frater N., Provincialis etc., consentio in Fratrem A. de tali loco eligendum in Generalem Priorem Ordinis nostri. Et ego Frater B. de tali loco, consentio in Fratrem I. de tali loco, eligendum in Generalem Priorem Ordinis nostri. Et sic scribat scriptor vota omnium.

<sup>95</sup> VERODUN.: ... Frater N., Dei gratia invocata...

<sup>96</sup> VERODUN.: A este numero sigue: His autem omnibus sic gestis reducatur ipsa forma electionis in scripturam sub sigillo Capituli generalis, secundum hic traditam formam. *Pone a continuación diversos formularios:* Forma decreti electionis factae per scrutinium (f. 115 b) ; Litterae dirigendae Summo Pontifici per duos Fratres petituros confirmationem (f. 115 vb); hic autem sequitur de forma electionis per compromissum (f. 116 b); forma decreti electionis celebratae per compromissum (f. 116 va) ; forma literae per modum compromissi (f. 117a). *Damos los dos primeros.*

Forma decreti electionis factae per scrutinium.

Clementissimo ac sanctissimo Domino Ho., sacrosanctae ac universalis Ecclesiae summo Pontifici. Generale Capitulum ordinis Fratrum Eremitarum sancti Augustini se ipsos ad pedum oscula beatorum. Noverit vestra Sanctitas reverenda quod anno Domini M<sup>o</sup> etc. Indictione tali, mensis talis, die tali, cum in generali Capitulo nostro in tali loco celebrato, iuxta consuetudinem approbatam et



407. Et iste modus eligendi, per omnia et per eadem verba, observetur in electione Prioris Provinciae et loci, quando electio fit per Fratres, et etiam Subprioris, excepto quod in electione Prioris et Subprioris loci, non vadant ad Ecclesiam cantantes *Te Deum laudamus*<sup>97</sup>.

---

nostri Ordinis instituta, Generalis Prioris esset et immineret electio celebranda. statuta die ad Capitulum et electionem communiter celebrandam, praesentibus omnibus et singulis qui debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, quarum nomina haec sunt: Frater A. de tali loco, Frater B. de tali loco, Frater C. de tali loco, Frater D. de tali loco, etc. tractatu et deliberatione praemissis, fratrem talem de tali loco, Fratrem talem de tali loco et Fratrem talem de tali loco supradictos ad inquirendum, investigandum, examinandum et scrutandum secreto et singillatim tam vota propria quam singulorum et praedictorum omnium scrutatores et unanimiter, communiter et concorditer assumpti sunt.

Praedicti vero scrutatores vota primo sua, et postea omnium et singulorum secreto et singillatim scrutati fuerunt, iuxta traditam eis tormam, et in scriptis redactam, mox in communi audientia publicarunt. Quo scrutinio publicato apparuit quod longo maior et sanior pars in religiosum virum Fratrem talem de tali loco eiusdem Ordinis consensit, aliis scilicet paucis in alium dirigentibus vota sua. Tunc statim facta collatione in communi numeri ad numerum secundi ad secundum, unici ad unicum, pauci ad plures, sponte et voluntarie redeuntes, in venerabilem religiosum virum Fratrem talem de tali loco Ordinis supradicti omnes et singuli de dicto Capitulo, Deo propitio, convenerunt. Tunc Frater talis, unus de scrutatoribus supradictis, mandato, consensu et voluntate omnium tam suo nomine quam vice et nomine nostro et totius Ordinis, elegit in haec verba: Ego Frater talis, ad honorem Dei omnipotentis, ac gloriosae Matns semper Virginis, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli beatique Augustini, Ecclesiae romanae summi Pontificis et totius Ordinis; mandato, et consensu et voluntate omnium qui in dictum Fratrem talem consenserunt, et totius Capituli, pro toto Ordine religiosum virum Fratrem talem de tali loco dicti Ordinis providum virum, et expertum et de his quae Dei sunt, et regularis observantiae et Ordinis circumspectum eligo in Priorem nostrum et totius Ordinis Generalem. Quam electionem omnes unanimiter approbavimus, et cantantes *Te Deum laudamus*, statim solemniter publicavimus. Qui Frater talis, devictus precum nostrarum instantia, electioni de se factae, ad honorem Dei omnipotentis et romanae Ecclesiae, humiliter et devote consensit.

In quorum omnium et singulorum testimonium et cautelam, praesens decretum totius Ordinis sigilli munimine, consensu et voluntate praedictorum omnium et totius Capituli, fecimus corroborari.

Litterae dirigendae summo Pontifici per duos Fratres petituros confirmationem.

Clementissimo ac sanctissimo patri Domino A., Dei gratia, catholicae et universalis Ecclesiae summo Pontifici, Generale Capitulum Fratrum Eremitarum sancti Augustini se ipsos inclinantes ad (*pedum oscula beatorum. Noverit*) sanctitas vestra reverenda quod anno Domini M°, etc., inductione tali, et summi pontificatus vestri anno tali, in tali loco, in nostro generali Capitulo, iuxta consuetudinem approbatam et Ordinis instituta humiliter et fideliter procedentes, in honestum et religiosum Fratrem talem de tali loco Ordinis nostri, providum, et expertum, et in his quae Dei sunt et regularis observantiae et Ordinis circumspectum, Spiritus Sancti gratia invocata, ad honorem Dei omnipotentis, et gloriosae Mariae semper Virginis, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et Beati Augustini, Ecclesiae romanae (*summi Pontificis*) et Ordinis nostri, in Generalem Priorem per formam scrutinii unanimiter et concorditer duximus eligendum Fratrem, electionem de ipso iuxta morem solemniter, publicantes. Qui Frater talis electioni de se factae, nostrarum precum devictus instantia, humiliter et devote consensit. Quem electum per religiosos viros tales Fratres etc., quos ad pedes Sanctitatis Vestrae propter hoc specialiter destinamus, clementiae vestrae humiliter precamus, supplicantes ut electionem quam citius eandem, tanquam canonicam, auctoritate apostolica dignemini confirmare. In cuius rei testimonium et cautelam, praesentem paginam fieri fecimus et totius Ordinis sigilli munimine roborari. Datum in tali loco, Anno Domini M° etc., Indictione tali, Pontificatus vestri sanctissimi anno tali.

<sup>97</sup> VERODUN.: *Omitido*



## CAPITULUM XL

### DE OFFICIO ET AUCTORITATE PRIORIS GENERALIS, ET PRO QUIBUS CASIBUS ABSOLVATUR ET PER QUEM ORDO REGI DEBEAT, EO DECEDENTE, VEL EIUS OFFICIO VACANTE QUOVIS MODO ALIO

408. Priori Generali nostri Ordinis tanquam patri et pastori cum omni reverentia et subiectione Fratres Ordinis in omnibus omnes oboediant. ipse autem, tanquam rector et pastor omnium curam gerens, Ordinem visitet, mores Provinciarum ab uniformitate Ordinis alienos corrigat et reformat, Capitulis Provinciarum quando poterit intersit, duos Fratres et unum Conversum suo arbitrio secum ducens, quos saepe propter exemplum aedificationis mutare cavebit<sup>98</sup>.

409. Quandocumque autem Generalis ipse per Provinciam aliquam Ordinis quacumque ex causa transitum fecerit, Fratres, ad quos declinaverit, eum tanquam patrem, pastorem et rectorem Ordinis cum omni reverentia et subiectione recipient. Omnia sibi et sociis tam in sanitate quam in infirmitate, quoisque ad locum alterius Provinciae pervenerit, secundum eorum paupertatem, necessaria devotissime ministrent, a communitate Provinciae recepturi, praeter cibum et potum de quibus a Provincia nil recipient, quidquid in provisione huiusmodi monstraverit expendisse.

410. Sane autem Piores Provinciales canonice electos confirmare, et eos corrigere et absolvere, si secundum statuta Ordinis casus emerserit absolvendi, ad eius officium pertinet.

411. Insuper Piores conventuales canonice electos, si eorum electioni intererit aut electio sibi delata fuerit, confirmet, et tam eos, quam alios officiales Ordinis, absolvere poterit quandocumque culparum merita secundum instituta Ordinis suadebunt.

412. Per universum enim Ordinem diligenter et solcite corrigat et reformat quaecumque secundum instituta Ordinis, tam in capitibus quam in membris, invenerit corrigenda.

413. Statuimus ut Frater qui Priori Generali oboedire recusaverit, et in ipsa inoboedientia obstinatus per duos dies et noctes integras permanserit, cum unusquisque legitime Ordinis filius teneatur usque ad mortem Ordini oboedire et pro bono statu Ordinis laborare, per tres annos voce careat, et ad curam animarum sit ineligibilis, donec fuerit cum eo per Generalem dispensatum, et nihilominus, sua contumacia exigente, per mensem poenae gravioris culpae cogatur penitus subiacere<sup>99</sup>.

414. Electionem vero eius, qui in Priorem conventualem alicuius loci de alia Provincia eligitur, non nisi ipse Prior Generalis confirmet.

415. In impositis quidem poenitentiis, et observandis ordinationibus, in omnibus et singulis, plenam auctoritatem habeat dispensandi. Faciat tamen Constitutiones Ordinis, quae dispensationem prohibent, secundum quod suae providentiae videbitur, inviolabiliter ab

<sup>98</sup> VERODUN.: ... in omnibus omnes oboediant, et duret ad triennium, salvo quod si in triennio cessionis Generalis ipsius Sedem Apostolicam vacare contigerit, in suo duret officio, donec fuerit Romanus Pontifex creatus. Infra quod tempus triennii, tanquam pastor omnium curam gerens, Ordinem totum, si commode poterit, visitabit, duos Fratres et unum Conversum...

<sup>99</sup> VERODUN.: *Omitido*



omnibus observari, cum condere et non observare non nisi Ordinem deludere, et Fratrum animas laqueare penitus dicatur.

416. Apostatae quidem de citramontanis Provinciis, qui ultra tres menses in apostasia steterunt, et apostatae de ultramontanis Provinciis, qui in eadem vagatione discurrerunt ultra annum, si ad Ordinem recipi mereantur, a Generali Priore vel de eius auctoritate expressa, et non aliter, sint recepti.

417. Praeterea, loca de novo capienda vel mutanda de Generalis Prioris licentia capiantur vel mutentur, si commode haberi potest, hoc est, si a partibus in quibus locus capi vel relinqui debet nimis non distet<sup>100</sup>.

418. Et Fratres de Provincia ad Provinciam ipse Generalis Prior, et non aliis, removeat.

419. Vicarios in Capitulis provincialibus, praeter Provinciales Piores qui in illo anno fuerint, faciat, sicut discretioni suae videbitur expedire<sup>101</sup>.

420. Prior quidem Generalis, ad mandatum vel requisitionem Definitorum vel maioris et sanioris partis eorum, officio generalatus statim renuntiet, et eis sigillum ipsius officii resignet. Sed si statim, ut dictum est, non renuntiaverit, et sigillum non resignaverit, eum ipso facto excommunicationis vinculo, quam ex nunc in his scriptis ferimus, innodamus, et sua inobedientia permanente, tanquam Ordini rebellis et excommunicatus, omni communicatione Fratrum sit penitus destitutus<sup>102</sup>.

421. Provincialis vero illius Provinciae in qua praenominatus Generalis, sic diabolica fraude deceptus, ad tantam rebellionem caput erigere attentaverit, congregato Capitulo, praecipiat Definitoribus et aliis Fratribus, qui vocem in electione Prioris Generalis habent, quod statim ad electionem ipsam procedant, ut subveniatur Ordini de pastore. Et eidem Provinciali vel eius vicem gerenti, si mortuus vel infirmus fuerit, debeat omnes et singuli Fratres de dicto Capitulo, ac si Generalis Prior esset mortuus, oboedire.

422. Si enim Generalis, aliqua probabili negligentia ductus, ad generale Capitulum tempore statuto in praecedenti Capitulo non iverit, a die statuta et praefixa in antea ad dictum generale Capitulum celebrandum, ipso facto, sit a generalatus officio absolutus, et in eo casu, Provincialis Prior illius Provinciae, in qua debet dictum Capitulum celebrari, praecipiat Definitoribus et aliis Fratribus in electione Generalis vocem habentibus, ut ad ipsam electionem inmediato procedant penitus celebrandam. Et eidem Provinciali omnes oboediant donec per praedictum generale Capitulum fuerit Generalis electio celebrata, et ad eum delata, si praesens non fuerit, et cooperit in officio ministrare, ac si ipse Generalis universae carnis debitum persolvisset.

---

<sup>100</sup> VERODUN.: *Omite: si commode haberi... nimis non distet.*

<sup>101</sup> VERODUN. *Omite las palabras:* Piores qui in illo anno fuerint.

<sup>102</sup> VERODUN.: Prior vero Generalis, congregatis Fratribus qui de corpore Capituli esse debent. statutis die et hora ad Capitulum celebrandum iuxta Ordinis instituta, ante omnia sigillum officii sui, necnon et officio generalatus in manibus Definitorum, vel cui Summus Pontifex commiserit. benigne et devote renuntiet. Si vero non resignaverit, nec renuntiaverit, ex tunc nullus Frater nostri Ordinis ei oboediat; et eidem ullus tanquam rebelli Ordini se coniungat; sed mensium assignato eis, ut in loco et tempore statuto et praefixo ipso facto sit a generalatus officio absolutus, et ab omni administratione et executione prorsus dicti officii sine spe dispensationis, perpetuo permanebit, et tanquam ambitiosus, desiderans potius praeesse quam prodesse, ad omne aliud officium cum cura animarum ineligibilis in nostro Ordine perpetuo remanebit.



423. Praeterea statuimus quod quandocumque decidere Priorem Generalem contingat, ad Priorem Provinciae in qua decessent, usque ad proximum sequens generale Capitulum quod erit et celebrabitur in fine novem mensium a die mortis ipsius Generalis Prioris, si terminus generalis Capituli celebrandi citius non occurrat, cura et administratio Ordinis devolvatur<sup>103</sup>.

424. Et idem Prior Provincialis per universas Provincias Ordinis statim per suas litteras obitum dicti Generalis notificare curabit, praecipiens eisdem, termino supradicto novem mensium assignato eis, ut in loco et tempore statuto et praefixo ad memoratum generale Capitulum celebrandum debeant omnes qui electi fuerint, ad praefatum Capitulum sine prolongatione temporis convenire. Prioribus Provincialibus nihilominus iniungentes, ut quilibet ex eis, convocatis Definitoribus proximi praeteriti provincialis Capituli suaे Provinciae, una cum eis eligant Definitores et Discretos, si electi non fuerint, qui ad ipsum generale Capitulum veniant ad terminum praenotatum.

425. Quod si, a die mortis Generalis usque ad tempus quod praefixum erat per Generalem et Definitores generalis Capituli ad generale Capitulum celebrandum, minus novem mensium temporis superesset, illud nullatenus prolongetur, immo inmediate post mortem Generalis, curet ipse Provincialis, ut alii omnes vocem in ipso generali Capitulo habentes debeant in loco et termino, per supradictos Generalem et Definitores praefixo, ad generale Capitulum convenire.

426. Si autem ipse Generalis Prior, quod absit, ita devio a religiositatis tramite ambularet, quod in ipso officio non sit ulterius tolerandus, ut puta, si minus bene in fide catholica sentit; aut, Dei timore postposito, inordinate et irreligiose vivendo, Constitutiones et laudabiles ordinationes Ordinis, quasi eas contemnendo, non servat, nec eas per Ordinem facit observari, aut in Ordine aut in Provincia aliqua Ordinis schismata et discordias nutrit, seu conspirationes facit; vel forte per se vel per alium, arte vel ingenio aliquo, operatur ut in generalatus officio possit remanere; vel si probatos et manifestos excessus graves et enormes Fratrum secundum instituta Ordinis non correxerit; vel forte si aliquem de quo quasi publica laborat infamia, in Priorem Provincialem seu localem, ex certa scientia, confirmaverit; aut etiam si de crimine cuiuscumque carnalis vitii per quatuor, vel per tres saltem,

---

Fratres bonae famae et opinionis convictus fuerit, vel infamia inter Fratres et saeculares publica huius vitii contra eum laboret; aut de nimia frequentia alicuius dishonesti loci seu familiaritate dishonestae personae apud Fratres vel saeculares notatus fuerit; vel si munera, dona, encenia non comestibilia, seu quocumque alio nomine censeantur, a Fratre aliquo, Conventu vel Provincia, aut ab aliqua alia persona, eius vel eorum occasione, per se vel per interpositam personam aliam receperit vel recipi fecerit: Definitores generalis Capituli, diligenti et discreta examinatione examinatis, et auditis culpis, accusationibus seu excusationibus per eum et contra eum factis, si compertum fuerit quod suprascripta vitia vel aliquod ex vitiis suprascriptis probabiliter in eo laboret, cum pro quolibet ex eis sit a generalatus officio absolvendus, statim, vocatis omnibus coram se vocem in electione Generalis habentibus, eos unus ex antiquioribus ipsius Capituli alloquatur, dicens: carissime Fratres, vos omnes missi et vocati estis huc a corpore nostri Ordinis, ut per Definitores et vos, tanquam per viros religiosos, et discretos ac fideles Religionis nostrae, provideatur Ordini de

---

<sup>103</sup> VERODUN. Omitido: si terminus generalis Capituli celebrandi citius non occurrat.



pastore. Igitur, Definitores ipsi caritati et discretioni vestrae iustissime supplicant, ut Deum prae oculis habentes et zelum Ordinis mente et affectu cordis, sicut legitimi filii Religionis, gerentes, quando procedetur ad electionem Generalis Prioris, quilibet vestrum in aliquem Fratrem Ordinis, excepto isto qui modo fuit, oculos suos dirigat, et in eum consentiat, de quo secundum suam conscientiam melius Ordini sit provisum.

427. De praedictis autem, et de quolibet praedictorum convictus quilibet Praelatus nostri Ordinis absolvatur.

428. Si enim Frater aliquis Priorem Generalem, sive Provincialem seu conventualem, sic convictum, excusare a culpa ipsius excessus vel a poena culpae defenderé attentaverit, tanquam apostata, et rebellis ac infidelis Ordini, puniatur.

429. Quicumque de receptione muneris vel munerum, doni vel donorum probabiliter convictus fuerit, praecipimus firmiter observari, ut ab electo in Priorem Generalem vel ab eius vicem gerente et Definitoribus Capituli, infra mensem ad restitutionem omnium perceptorum, sine diminutione aliqua, penitus constringatur. Et omnia sic restituta in communitatem Ordinis reducantur. Et ipse ineligibilis ad omne officium Ordinis perpetuo permaneat. Hoc addito, ut si per simoniam, vel propter palliationem furti vel cuiuscumque viti carnalis compertum fuerit aliquid accepisse, gravioribus culpis tribus mensibus subiaceat<sup>104</sup>.

430. Prior enim Generalis vel vicem eius gerens et Definitores illi qui, sicut scriptum est, tam de investigatione culparum quam de restitutione rerum et de poena adiecta culpae non fecerint observari, a proximo sequenti Capitulo generali debeat usque ad quinquennium ab omni cura animarum suspendi.

431. Priori namque Generali, qui ab executione ipsius officii vacat, tanquam personae venerandae reverentiam et honorem omnes ubique reverenter exhibeant. Ipse vero exemplum aedificationis et sanctitatis, moribus et vita, omnibus preebeat. Officium quidem nullum inferius a generalatu de cetero in Ordine habeat, nullus enim, sine despectu et contumelia Ordinis, potest ad aliquod officium particulare assumi, qui multitudini preefuit universae<sup>105</sup>.

432. Generalis namque in cuius cura et providentia Ordo totaliter requiescit, in generali Capitulo semper circa ea, quae substantialia sunt Ordinis et statum communem respiciunt, diligenter debet attendere, et ad ea Definitorum ipsius Capituli intelligentias excitare. Debent enim, auditis culpis, inter se et ab aliis diligenter inquirire, si qua sunt in Romana Curia pro commoditate totius Ordinis vel alicuius Provinciae seu loci procuranda vel impetranda, et illa Procuratori Ordinis ex parte eorum solicitanda et procuranda iniungant, et quod per ipsum Procuratorem factum et procuratum extiterit, et inquirant et sciant.

433. Attente quidem provideat quomodo Studia, in quibus fundamentum Ordinis consistit, per universum Ordinem solcite continentur, et maxime quomodo generalia Studia in fervore et assiduitate studii nutriantur, et apti ad Studium per singulas Provincias Ordinis promoveantur. Et ad hoc non solum in generali Capitulo Generalis vigili et solicita cura debet intendere, sed saepe per suas litteras, et maxime in provincialibus Capitulis, Provinciales, Lectores et Piores ad hoc inducere et monere.

---

<sup>104</sup> VERODUN.: ... in communitatem Ordinis reducantur. Et ipse, tanquam de furto convictus, ineligibilis ad omne officium Ordinis per decennium permanebit. Hoc addito...

<sup>105</sup> Nn. 431-438, VERODUN.: *Omitidos*



434. Praecipiat insuper omnibus Regentibus et Studentibus, ut opiniones et positiones venerabilis magistri nostri Aegidii ubique teneant, et secundum eius scripta omnino legant. Et ipsi, ut zelatores honoris et status Ordinis, cum mandato et sine mandato, infallibiliter praedicta servent.

435. Praeterea, considerent solicite et provideant, quomodo Ordo in aliquibus partibus mundi ubi debilis est, fortificari et augmentari possit; et ubi nondum deplantatus est, quomodo plantari et radicari possit; et ad hoc solicite vigilent et insistant.

436. Item a Provinciali cuiuslibet Provinciae, et ab aliis eius sociis diligenter quaerant et sciant quomodo Provincia tam in receptione locorum quam in receptione Fratrum, et observantiis regularibus, in sua administratione profecit; et si Piores et Fratres locorum fecit religiosam et communem vitam ducere.

437. Et quem in praemissis invenerint proficientem, ad exemplum aliorum, ipsum coram omnibus de Capitulo commendent et honorent, et in officio libenter manuteneri faciant, donec benefecerit. Quem vero in ipsis invenerint defecisse, ad correctionem et monitionem aliorum, coram omnibus de Capitulo increpant, et reprehendant, et ab officio, praesentibus omnibus, penitus amoveant.

438. Prius autem quam Capitulum terminetur, omnes Provinciales ad haec omnia instantissime moneant et confortent, et eis omnino praecipient, quod Piores omnes vitam communem cum Fratribus suis omnibus observari faciant. Nam ex particulari vita Fratrum, Conventus confunditur, et Fratres rapere et furari coguntur, et ad omnem communem utilitatem, in qua Ordinis status, et salus animarum, et pax et tranquillitas corporum consistit, tepidi redduntur, et ad murmurationem et detractionem, a quibus confusio Ordinis et perditio animarum dependet, omni hora sunt parati et prompti. Cum ergo radix et fomex huius sceleris sit inordinata et perversa vita iniqui Prioris, in officio ulterius tolerari omnino non debet. Sic enim vivens, non meruit nominari pastor, sed gregis sibi commissi lupus potius devorator.

## ADDITIO

Circa quadragesimum capitulum de officio Prioris Generalis addicimus, statuentes quod Prior Generalis possit unire et incorporare Fratrem unius Conventus alteri Conventui, causa rationabili subsistente.

Item quod Prior Generalis, cum a generalatus onere fuerit ab Ordine relevatus, misericorditer possit in quacumque parte Ordinis, ad suam quietem, et pacem, et consolationem sibi eligere unum locum, in quo ipse cum uno socio suo, qui ei serviat, conventionalis existat, nec ipse idem contra sui voluntatem, vel socius eius, per aliquem officialem Ordinis valeat removeri. Provideatur etiam eidem loco de Prio et aliis Fratribus, prout idem Pater postulabit, et hoc tempore Capituli per ipsos Definitores, et in reliqua parte anni per Provinciale vel Regentem Provinciam.

Item volumus et praecipimus, ut solus Prior Generalis vel eius Vicarius ad hoc specialiter deputatus possit corrigere iam dictum Priorem quondam Generalem, et super factis eiusdem visitare.

Item statuimus quod decente Priore Generali, Prior Provincialis illius Provinciae, in qua debet Capitulum generale celebrari, Ordinem regat, solum de casibus emergentibus, ad



correctionem pertinentibus se intromittat, et de his quae pertinebunt ad correctionem Capituli praelibati.

Et si contingat dictum Provincialem decidere, Provincialis illius Provinciae Ordinem regat, qui in proximo praecedenti Capitulo extitit Provincialis, et sic deinceps in praeteritum.

Si vero Prior Generalis vivens, aliquo rationabili impedimento detentus, non possit ad Capitulum generale venire, mittere Vicarium suum valeat, qui vice eius possit et debeat, ad voluntatem Definitorum vel maioris et sanioris partis eorum, generalatus officium resignare. Et si Vicarius non veniat, tunc Provincialis Provinciae in qua est Capitulum congreget Capitulum, et faciat sicut in Constitutionibus continetur.

## CAPITULUM XLI

### DE OFFICIO ET AUCTORITATE VISITATORUM GENERALIUM

439. In generali Capitulo, quod debet de triennio in triennium celebrari, Generalis Prior et Definitores ipsius Capituli eligant plures Fratres providos et discretos, iustitiae et religiositatis non modicum zelatores et qui numquam in Ordine de aliquo vitio notabili fuerint notati. Et eis, sic electis, committatur per eosdem Generalem et Definitores visitationis officium totius Ordinis vel aliquarum Provinciarum, quae magis indigeant, et eas infra praemissum triennium visitent.

440. Ipsi vero Visitatores officium, sicut eis commissum fuerit, omni solicitudine et diligentia facere et adimplere current; corrigant et reformat; et delicia in unoquoque puniant iuxta Ordinis instituta<sup>106</sup>.

441. Ita tamen quod ultra octo dies, postquam visitare inceperint, in eodem Conventu eorum officium non durabit. Et licet auctoritatem ex Constitutione magnam habeant, Provincialem tamen nullum absolvere possint; si tamen invenerint aliquem Provincialem dignum absolutione, statim Generali debeant culpam et excessum eius per speciales litteras intimare<sup>107</sup>.

442. Priorem autem conventualem, si quando causa evidens et cogens apparuerit absolvendi, non nisi convocatis et requisitis Provinciali et aliquibus senioribus, qui commodius haberi poterunt de Provincia, absolvant.

443. Praeterea, quicquid invenerint reformatum vel corrigendum, tam in vita quam in moribus, et in officiis ac in omnibus regularibus observantiis, sive illud correxerint vel non correxerint, ad generale Capitulum deferant in scriptis, sine specialium infamia personarum, quod de correctis debet intelligi, ut per relationem huiusmodi possint Generalis Prior et Definitores generalis Capituli de statu et ordinatione totius Ordinis informari, et sic suo modo vitiis et virtutibus subvenire.

---

<sup>106</sup> VERODUN.: Quam ipsi Visitatores, bini et bini, sicut eis commissum fuit, omni solicitudine et diligentia facere et adimplere curabunt, corrigendi et reformati, iuxta Ordinis instituta, infra absolutionem Priorum Provincialium, plenam auctoritatem habentes.

<sup>107</sup> Omite: Ita tamen... nullum absolvere possint.



444. Si vero aliquem ex praemissis Visitatoribus, infra praemissum triennium mori vel ita infirmari contingat, quod omnino visitare non possit. Prior Cteneralis alium statim instituat loco eius.

445. Prioribus omnium Provinciarum et locorum mandamus quatenus praemissis Visitatoribus, cum apud eos pervenerint, cum omni diligentia et caritate de Provincia ad Provinciam, et de loco ad locum, secundum paupertatem Ordinis provideant in expensis.

## CAPITULUM XLII

### DE POENA FALSIFICANTUM LITTERAS VEL SIGILLA GENERALIS, PROVINCIALIS, ETC.

446. Nullus Frater litteras alias Generalis, Provincialis, conventualis Prioris vel alicuius Officialis Ordinis audeat destruere, aperire vel occultare.

447. Si quis confessus vel convictus fuerit quod tale quid fecerit, per mensem poenae gravioris culpae subiacere cogatur.

448. Qui autem litteras vel sigilla praedictorum falsificare praesumpserit, poenae gravioris culpae tribus mensibus subiaceat, ineligible per tres annos ad omne officium Ordinis permansurus.

449. Eidem poenae subiaceat qui Indulgentias, vel Privilegia aut instrumenta publica in favorem Ordinis, vel alicuius Domus, seu Fratris vel cuiuscumque personae concessa destruere fuerit ausus vel alienare.

450. Falsificationem enim intelligimus demere vel addere aliiquid in litteris vel de litteris, quod sensum et tenorem litterae in aliquo mutet, seu aliiquid aliud facere contra intentionem eius, cuius in ipsis litteris nomen appositum est vel sigillum seu signum.

451. In poenitentiis quoque praemissis, quae de falsariis loquuntur, vel in similibus, si opus erit, addat generale Capitulum vel ipse Generalis secundum quod sibi delicti enormitas suadebit.

## ADDITIO

Circa quadragesimum secundum capitulum de falsificantibus litteras addicimus quod quicumque sigillum Prioris Generalis, vel litteras falsificaverit, vel ipsas aperuerit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, et nihilominus talis falsificator poenam carceris sustineat per unum annum. Aperitor vero ipsarum litterarum poenae gravioris culpae subiaceat per sex menses. Quas etiam poenas ad falsificantes et aperientes sigilla et litteras Priorum Provincialium extendimus. Addentes quod intelligatur tam de litteris quas Generalis vel Provincialis mittit, quam de illis, quae sibi ab aliis mittuntur.

Item praecipimus quod Praelatí nostri Ordinis in omni littera poenali vel gratiosa ponant debitum annum, diem et tempus tunc currentia, alias litterae nullius sint momenti.



## CAPITULUM XLIII

### DE POENA PERCUTIENTUM, INCIDENTIUM IN ALIQUEM LAPSUS CARNIS ET REVELANTIUM SECRETA CAPITULI SE DOMUS

452. Ordinamus quod si quis Frater, irato animo, aliquem Fratrem nostri Ordinis pugno, ligno, vel lapide, seu aliquo alio, sine sanguinis effusione seu ullius partis corporis grave laesione percusserit, per mensem poenae subiaceat gravioris culpae; secunda vero, quarta et sexta feria in pane et aqua sine dispensatione debeat ieiunare.

453. Si vero Fratrem alterius Ordinis, aut Clericum, aut saecularem personam percusserit, per duos menses poenae subiaceat supradictae, et tantum plus quantum Generali vel Provinciali videbitur expedire.

454. At vero si alicui aliquo ferro, vel ligno, vel lapide vel aliquo alio sanguinis effusio fiat, vel mortale vulnus et gravis alicuius membra laesio inferatur, percutiens incarceretur, nec inde extrahatur, nisi prius cum eo per generale, vel provinciale Capitulum dispensemsetur. Infra quod tempus, secunda, quarta et sexta feria in pane et aqua sine dispensatione ieiunet. Additientes quod si hoc cum scandalo extraneorum factum fuerit, quod postquam cum huiusmodi de carcere fuerit dispensatum, per quinquennium careat voce.

455. Si autem usque ad homicidium, quod Deus avertat, aliquis dilabatur, talem volumus perpetuo carcerari, et ter in hebdomada panis et aqua eidem solum administretur.

456. Quod si aliquis ad tantam saevitiam seu animi turbationem pervenerit quod ultra ter in Fratrem suum diversis temporibus manus iniecerit violentas, etiam absque membra laesione et sanguinis effusione notabili, portata poenitentia secundum gravitatem et differentiam percussionum in capitulo isto posita, addatur quod ad omne officium Ordinis ineligiblem permanebit, nisi fuerit cum eo per generale Capitulum dispensatum. Nihilominus aggraventur transgredientium poenae secundum exigentiam meritorum.

457. Si qui vero reperiantur quod hactenus fuerint pro vitio indicibili incarcerati, aut confessi coram fide dignis vel convicti, nullo tempore ad prioratum, vel subprioratum seu vicariatum, vel aliquam curam animarum assumantur. Qui autem tales promoverit, usque ad quinquennium ineligiblem habeatur, et illa promotio nulla sit.

458. Et si deinceps aliqui in praedicto vitio inveniantur decem mensibus incarcerentur, secundis, quartis et sextis feriis, sine dispensatione, in pane et aqua ieiunent, et postmodum licentientur ad Regulam arctiorem, nisi eligant in Ordine perpetuo carcerari.

459. Qui autem in fornicatione vel adulterio reprehensus fuerit vel convictus, incarceretur, a quo non extrahatur sine provincialis Capituli licentia speciali.

459. Si quis autem in peccatum carnis extra locum lapsus fuerit, Frater, qui cum eo est studeat Priori excessum eius corrigendum, quam citius intimare. Si vero huiusmodi peccatum occultum fuerit, facta inquisitione discreta secundum tempus et personam, condigna imponatur poenitentia. Si autem manifestum fuerit, correctus secundum praetaxatam poenitentiam de fornicationibus, ad locum in quo quid commiserit ulterius non mittatur, nisi ita religiose fuerit conversatus, quod Definitoribus generalis vel provincialis Capituli videatur de eo aliter observandum.



461. Si quis Frater sive Conversus secretum cuiuscumque Capituli seu etiam Domus nostri Ordinis alicui extraneo scienter et ex deliberatione revelaverit, poenam gravioris culpae per mensem unum continue, pro qualibet vice, sustinere sine dispensatione aliqua compellatur, et voce careat quousque per eum dicta poenitentia fuerit adimpta<sup>108</sup>.

462. Secretum vero Capituli sive Domus intelligimus causas infamatorias, absolutionem cuiuscumque Prioris vel correctionem eiusdem, aut Fratris alicuius crimen, sive omne aliud unde Ordo noster turbari possit vel diffamari. Secretum etiam dicimus quidquid Prior Generalis, aut Provincialis, seu Definitores, et Visitatores, vel conventualis Prior praeceperit haberi secretum. Extraneos autem dicimus quotquot non sunt nostrae Professionis et sub debita oboedientia nostri Prioris Generalis.

463. Sacerdos, qui tanta fuerit fraude diabolica obcaecatus, quod ex alicuius confessione sibi facta in foro confessionis, praesumpserit aliquid modo aliquo revelare, si de huiusmodi scelere sit convictus, statim poenae carceris mancipetur, et de eo nisi per generale vel provinciale Capitulum nullatenus extrahatur, et auctoritate audiendi confessiones eo ipso sit privatus, donec ab habente auctoritatem dispensandi, meruerit uberiorem gratiam obtinere<sup>109</sup>.

#### ADDITIO

Circa quadragesimum tertium capitulum de poena percutientium addicimus quod si quis Frater inventus fuerit portare vel tenere arma, propter quod merito possit haberi suspectus, sit ipso facto per sex menses poenae carceris adiudicatus.

Quicumque vero, animo irato, alicui percusionem comminatus fuerit, poenam gravioris culpae sustinere cogatur per quindenam.

Item quicumque Frater in suum Priorem vel Praelatum iniecerit temere manus violentas, post poenam excommunicationis, quam talis ipso facto incurrit, a qua etiam per nullum nisi per Summum Pontificem potest absolvii, voce perpetuo sit privatus, et ex consequenti, sit inhabilis ad omne officium cum cura animarum. Quam etiam definitionem ad ordinatores et complices percussionis et iniectionis manuum violentarum volumus extendi.

#### CAPITULUM XLIV

##### DE POENA FALSI TESTIS ET EUM INTRODUCENTIS, ET MITTENTIS LITTERAS SINE NOMINE

464. Licet via malignantium et iniquitas perversorum nulla possit lege seu mandato praecludi, tamen ad hoc quantum in nobis est debemus solletere laborare. Igitur, statuimus et ordinamus, et omnes et singulos Fratres nostrae Religionis primo, secundo et tertio inducimus et monemus, et eisdem stricte praecipimus per oboedientiam salutarem, ut nullus ex eis Fratrem aliquem de falso crimine alicui Praelato seu Officiali Ordinis accuset, vel falsum testimonium contra aliquem reddat, vel falsum testem det seu inducat, vel dari faciat. Quod si

<sup>108</sup> VERODUN. Omite la frase final: et voce careat quousque per eum dicta poenitentia fuerit adimpta.  
<sup>109</sup> VERODUN. Omitido.



quis tanta perversitate et suggestione diabolica fuerit obcaecatus, quod contra hoc praesens praeceptum praesumpserit modo aliquo contraire vel neglexerit observare, tria monitione praemissa ex nunc prout ex tunc in his scriptis, ipsum excommunicationis vinculo innodamus. Addentes insuper, quod quicumque de tali fuerit temeritate et praevicatione convictus, per sex menses poenae carceris in compedibus mancipetur, et quarta et sexta feria in pane et aqua tantum reficiatur, et voce et officio praedicationis, et lectoriae, si Lector fuerit, in perpetuum careat, nisi cum eo per duo generalia Capitula fuerit dispensatum<sup>110</sup>.

465. Item sub tenore eiusdem praecepti et sententiae, omnibus et singulis Fratribus nostrae Religionis praecipimus et mandamus, ut nullus alicui Fratri nostri Ordinis, subdito vel Praelato seu Officiali, vel alicui personae, per se vel per alium, litteras alias mittat seu mitti faciat modo aliquo, in quibus nomen et cognomen suum non sit lucide et clare descriptum; nec etiam litteras, per quas possit Ordo vel Frater Ordinis diffamari, vel eius secreta seu alicuius Fratris sciri, alicui personae nostri Ordinis non professae mittat vel mitti modo aliquo procuret aut consentiat. Quod si quis aliquo modo contra fecerit, eo ipso excommunicationis vinculo, quam ex nunc in his scriptis ferimus, sit astrictus; et per tres menses poenae gravioris culpae subiaceat; et nihilominus, postquam per eum talis poenitentia fuerit sine diminutione adimpta, per annum voce careat, sexta feria super nudam terram sedens in pane et aqua ieiunet, et a Priore loci recipiat disciplinam.

466. Mandamus insuper et praecipimus omnibus Sacerdotibus nostrae Religionis, quatenus nullus a predicta sententia, vel a quacumque alia a Constitutione Ordinis vel a Priore Generali lata, aliquem, excepto mortis articulo, praesumat absolvere, cum nullus ab huius sententiis, nisi Generalis Prior, auctoritatem habeat absolvendi. Et si quis contra fecerit, per duos menses poenae gravioris culpae subiaceat, et auctoritate audiendi confessiones careat per tres annos.

467. Cum eos, qui ad Dei cultum de saeculi perplexitate liberi convolarunt, quod feliciter de humana solitudine saeculo reliquerunt in Religione non deceat occupare, praesenti Constitutione statuimus et praecipimus inviolabiliter observari, ut nulli Fratres nostrae Religionis, extra circuitum loci quod inhabitant, possessionem aliquam, per se vel per aliam personam, possideant, sed fidelium eleemosynarum largitione contenti, quasi alieni ab occupatione saeculi, Missis, orationibus, praedicationibus ac Sanctae Scripturae lectionibus, Deo, qui non nisi in pace colitur, assidue studeant humiliter deservire.

468. Prior quoque famulum vel saecularem servitorem nisi sit Ordini oblatus, nullum intra claustrum loci permanere, aut conversari permittat. Tales enim inordinationes morum et vitae consueverunt interdum Novitios et iuvenes Ordinis inficere, et antiquiores suis levitatibus et inordinationibus contristare.

469. Si autem Fratres cogantur quemquam secum saecularem necessitate aliqua retinere, aliquem modestum et humilem quaerant, quem Procurator loci in principio iurare faciat, ut

---

<sup>110</sup> nn. 464-469 = Cap. 44, VERODUN., Omitido.



omnia bona loci diligenter et fideliter custodiat, et honorem et bonam famam Ordinis et Fratrum ubique fideliter observet.

## ADDITIO

Circa quadragesimum quartum capitulum de falso testimonio declarando addicimus quod Constitutio de litteris sine nomine et cognomine intelligenda sit de litteris infamatoriis. Si quis autem Frater alium diffamaverit apud aliquam personam Ordinis nostri non professam, de aliquo vitio notabili, per tres menses incarceretur. Et eidem poenae subiaceat diffamans aliquem per cédulas, vel libellos, seu descriptiones in parietibus.

Constitutionem vero, quae loquitur de possessionibus extra circuitum loci non habendis pro utilitate Ordinis, moderando, statuimus quod nullus Prior aut aliis officialis, quicumque sit, praesumat alias possessiones vendere vel alienare, perpetue vel ad vitam, alicui personae, nisi de speciali licentia Prioris Generalis. Contrarium faciens carceri mancipetur.

## CAPITULUM XLV

### DE POENA PROPRIETARII ET SURRIPIENTIS ORDINIS BONA

470. Statuimus ut si aliquis de Fratribus nostri Ordinis, pro quacumque necessitate sua, in auro vel argento aliquid habuerit vel in pecunia numerata, id totum, quid, et quale et quantum fuerit Priori suo nude revelare, et distinete et separatim ostendere teneatur, et in manu sive custodia Procuratoris. Domus, in qua conventionalis est, deponat, nomen suum, et qualitatem ac quantitatem rei eiusdem in scripto ponens. Et hoc de rebus Prioris volumus similiter observari.

471. Generalis vero Prior et Provincialis bona sibi ad usum concessa in aliquo loco nostrae Religionis ponant, sicut eorum discretioni videbitur expedire.

472. Si quis autem contra hanc formam aliquid aliquando alicubi habere inventus fuerit, in auro vel argento, seu in pecunia numerata, ea tota privetur, et ad Conventum sive loca, ubi id si indebite ab eisdem percepit, devolvatur. Alioquin, ad manus Procuratoris Provinciae ipsa omnia debeant pervenire. Ipse vero poenae gravioris culpae per quindecim dies debeat subiacere<sup>111</sup>.

473. Statuimus etiam quod nullus Frater extra locum, in quo conventionalis existit, vestes, libros, vel aliquid aliud sibi concessum reponat, nisi de licentia sui Prioris, quam licentiam nulli Fratri concedat, nisi causa rationabili subsistente. Nec ipse Prior similiter vestes, libros vel aliqua sibi concessa, sine consensu trium Fratrum de senioribus suaे Domus, reponat. Quicumque vero contra fecarit, rebus ipsis privetur, et de ipsis sicut de bonis Fratrum decedentium disponatur.

474. Nullus autem Frater extra Ordinem sine licentia Prioris Provincialis librum aliquem vendat, nec licentiam obtineat, nisi requisitis Fratribus prius omnibus de Conventu, ut si quis

<sup>111</sup> VERODUN.: ... omnia debeant pervenire, salvo quod si in re hereditaria haec habuerit, de ea fiat sicut in Constitutionibus est ordinatum. Ipse vero poenae ..



de Conventu vel de Provincia sua fuerit qui, pretio quo emit, velit habere. Alioquin, obtenta licentia, vendat cui sibi videbitur expedire.

475. Rem vero aliam recipere, emere, vendere sive alienare infra Ordinem nulli liceat, sine licentia sui conventionalis Prioris.

476. Extra vero Ordinem nulli similiter liceat aliquid dare, vel donare seu vendere sine licentia proprii Prioris. Qui videlicet Prior possit licentiare subditum suum usque ad valorem quinque solidorum usualis monetae; Provincialis autem usque ad decem, si videbitur expedire, et non ultra. Quod si quis contra fecerit, tam in casu isto quam in quolibet suprascripto, et qui dat sine licentia et qui dat licentiam aliter alienandi quam hic est determinatum, octo dies in pane et aqua ieiunet sine dispensatione, et res venditae, vel rei pretium scilicet extra Ordinem, sit in discretione Prioris Provincialis eidem Fratri vel Conventui seu Provinciae, ad quam pertinet, restituendum.

477. Mutuare vero pecuniam nulli Priori vel subdito extra nostrum Ordinem liceat; qui autem contra fecerit, pecunia ipsa privetur, et ad manus Procuratoris Provinciae perveniat<sup>112</sup>.

478. Pecuniam vero Conventus, vel si quam in custodia habet Procurator loci, de conscientia et voluntate Prioris et de conscientia trium vel quatuor ad minus seniorum Fratrum de Conventu, apud aliquam securam et honestam personam possit deponere tempore necessitatis.

479. Si quis autem circa quantitatem unius unciae argenti alicui personae vel loco furtive sustulerit, rem restituere compellatur, et poena gravioris culpae per duos menses puniatur. Si vero aliquis de quantitate maiori furtum commiserit, per sex menses carceretur et semper secunda, quarta et sexta feria in pane et aqua ieiunet<sup>113</sup>.

480. Si quis enim calices, vel aliqua alia ornamenta furari praesumpserit, poenae carceris mancipetur, unde exire non debeat sine Generalis vel Provincialis licentia speciali. Et secunda, et quarta et sexta feria, donec ibidem steterit, in pane et aqua sine ulla dispensatione ieiunet<sup>114</sup>.

481. Si vero contra aliquem Fratrem de furtis laboret infamia et, post huiusmodi infamiam, in furto fuerit deprehensus aut de eo convictus, postquam extractus fuerit de carcere, in quo steterit, per sex menses habitu Professorum, et voce debeat usque ad quinquennium sine dispensatione carere.

482. Praeterea, si quis, exigentibus suis meritis, fuerit in vinculis positus aut carceri mancipatus, et aliquis de Fratribus nostris, quicumque sit ille, ad fugiendum eum vel inde extrahendum, per se vel per interpositam personam, eidem dederit, ulla modo vel ingenio, consilium, auxilium vel favorem, ipse talis in eadem poena ponatur. Et idem iudicium de custodibus captivorum, si per eorum negligentiam fugerit, observetur.

---

<sup>112</sup> VERODUN.: ... pecunia ipsa privetur, et de ipsa pecunia sicut de bonis Fratrum decedentium disponatur.

<sup>113</sup> VERODUN.: ... per duos menses puniatur, cum quo Prior suus in silentio, cibo et potu, praeterquam in quarta et sexta feria, valeat dispensare. Si vero aliquis... *Final:* ... per sex menses captivetur, et semper quarta et sexta feria in pane et aqua ieiunet.

<sup>114</sup> VERODUN.: Quod si quis calices vel libros seu vestes vel ornamentum Ecclesiae furari sacrilega manu praesumpserit, ponatur in carcere, unde exire non debeat sine generalis vel provincialis Capituli licentia speciali, et in supradictis diebus poena, quae in eis est posita, puniatur.



483. Fugiens autem de carcere vel de alia poena, si postmodum redierit vel capi poterit, poenis in quibus erat subiacere, et in loco sive in Provincia ubi erat manere cogatur. Incarcerati autem habitu careant, quamdui fuerint in carcere vinculati<sup>115</sup>.

#### ADDITIO

Circa quadragesimum quintum capitulum de proprietariis addicimus quod nullus Frater aurum, argentum in quacumque specie, libros vel alias quascumque res, extra locum Ordinis nostri deponat, mutuet vel retineat, quocumque titulo, sine plena de omnibus illis conscientia et licentia Prioris sui, registrata in quaterno publico, qui apud Sacristam diligentissime conservetur. Prior vero conventionalis sine simili conscientia et licentia Provincialis, et modo simili registrata. Prior autem Provincialis sine Prioris Generalis licentia consimili, et simili modo registrata in aliquo Conventu suaे Provinciae. Si quis contra fecerit, pecunia et rebus huiusmodi extra Ordinem retentis sit privatus, et de eis fiat sicut de rebus Fratrum decedentium. Et nihilominus si fiat in fraudem alienandi huiusmodi res ab Ordine, talis sit ipso facto excommunicationis vinculo innodatus.

Per hoc tamen non intelligimus quod si quis Frater mutuaverit alicui personae fide dignae nostri Ordinis non professae, librum vel libros, per aliquod tempus, debere ipso vel ipsis privari.

Item si aliquis Frater convincatur de rebus mutuatis usuram recepisse, ille rebus talibus privetur, et tribus mensibus carceri mancipetur.

Item statuimus quod nullus Frater alicuius mercantiae, per se vel per alium, intra vel extra Ordinem, in pecunia sive in aliis rebus, lucri gratia exerceat. Contra faciens, rebus talibus in quacumque substantia fuerint privetur, Conventui de cuius quaesta talis Frater fuerit oriundus applicandis, et nihilominus inhabilis permaneat per biennium ad omne officium curam habens animarum adnexam.

Praeterea quicumque Frater inventus fuerit ludere ad taxillos, aut ludentibus assistere, tam ludens quam assistens per sex menses carceri mancipetur. Eadem poenam volumus incidisse eum qui ludit, etiam sine taxillis, pro pecunia vel alia re, cuius perditione Frater notabiliter damnificatur.

---

<sup>115</sup> VERODUN.: Fugiens autem de carcere vel de alia poena pro culpis suis de Ordine exiens, si postmodum,..

Añade: Si quis vero in casu aliquo simoniam commisisse convictus fuerit vel confessus, in omni vita sua vocem in Capitulo vel alibi in negotiis aliquibus Ordinis in communione aliquo non habebit, nisi cum eo per duo generalia Capitula continua fuerit dispensatum. Atque omni re, in substantia qualicumque consistat, quam in simoniae ipsius commissione recepit, omnino privetur, et in commodum loci seu Provinciae, in cuius detrimentum commissa fuerit convertatur.



## CAPITULUM XLVI

QUOMODO APOSTATAE RECIPIANTUR,  
ET DE POENITENTIA EORUMDEM

484. Cum, doctrina apostolica suadente, quilibet in vocatione, qua ad cultum divini obsequii vocatus est, debeat immobilis permanere, statuimus, et ordinamus et praecipimus inviolabiliter observari, ut nullus Frater in nostro Ordine Eremitarum Sancti Augustini professus debeat extra ipsum Ordinem, sine debita licentia petita et obtenta Prioris Generalis praemissi Ordinis, exire. Si autem Fratrem aliquem sine predicta licentia ipsius Prioris Generalis Ordinem praescriptum exire contingat, illum primo, secundo et tertio monemus, inducimus et hortamur, et eidem praecipimus per oboedientiam salutarem, ut per totam diem, qua sine praemissa licentia Generalis Prioris Ordinem praenotatum exivit, et quam sibi pro peremptorio termino assignamus, ad ipsum Ordinem redeat. Quod si illa die ad praefatum Ordinem non redierit, scientes ipsum ex hoc contumacem et apostatam Ordinis, auctoritate privilegii ab Apostolica Sede nobis indulti, trina monitione praemissa in his scriptis, licet inviti, ex nunc prout ex tunc, ipsum excommunicationis vinculo innodamus<sup>116</sup>.

485. Nihilominus, si quis post factam in Ordine nostro professionem apostataverit, nisi eodem die redierit, paratus absque ulla conditione subire Ordinis disciplinam, Prior suus statim citet eum, et ferat in eum publice, nisi redierit, excommunicationis sententiam, in hac forma, licet alias per Constitutionem Ordinis excommunicatus existat: Fr. N. Fratrum Eremitarum Ordinis Sancti Augustini, Prior talis loci, Fratri N., subdito suo, eiusdem Ordinis professo, de invio redire ad viam. Cum tu ab oboedientia nostra et nostri Ordinis, in quo professionem morosa deliberatione fecisti, recesseris, licentia debita non petita et obtenta. Nos, tuis damnis pio compatientes affectu et salutis animae tuae commoda procurare, quantum in nobis est, cupientes, rogamus, et hortamur atque monemus, semel, secundo et tertio, et in virtute sanctae obedientiae tibi districte praecipiendo mandamus, quatenus usque ad decem dies, quos tibi pro peremptorio termino assignamus, ad praedictum nostrum Ordinem revertaris. Nam parati sumus, salva ipsius Ordinis disciplina, te recipere et fraterna in Domino caritate tractare. Si autem nostris monitis et paeceptis contempseris oboedire, nos ex hoc scientes esse te contumacem, ex nunc, auctoritate privilegii ab Apostolica Sede nobis indulti, te, licet inviti, in his scriptis excommunicationis vinculo innodamus, contra te, auctoritate eiusdem, si oboedire contempseris, durius processuri. In cuius rei testimonium, praesentibus sigillum nostrum duximus apponendum. Datum, etc<sup>117</sup>.

486. Si igitur Frater poenitentia ductus ad Ordinem redire voluerit, paratus subire omnem Ordinis disciplinam, usque tertio sibi porta misericordiae non claudatur, nisi tale quid commiserit, propter quod ad receptionem in Ordine, suis exigentibus meritis, se indignum reddiderit.

487. Modus autem receptionis eius est: ut si fuerit in habitu saeculari, exuet eum in ostio Capituli ubi recipiendus erit, et, indutus tunica, ita quod usque ad cingulum desuper nudus remaneat, cum virgis in manibus, ante pedes Prioris, in medio Capituli se prosternens, dicat:

---

<sup>116</sup> VERODUN.: *Lo omite.*

<sup>117</sup> VERODUN.: Si quis post factam in Ordine nostro professionem apostataverit, nisi infra dies decem redierit paratus absque ulla... in hac forma: Fr. P. Fratrum Eremitarum Ordinis Sancti Augustini, Prior talis loci, Fratri I., subdito suo .. Datis Parisius, kalendas ianuarii, anno Domini MCCLXXXV.



mea culpa. Ac surgens ad Prioris mandatum, suam transgressionem confiteatur. Et ex tunc vapulet ad pedes primo Prioris, et postea sessorum utriusque lateris. Iste poenam, quae in Capitulo de graviori culpa est pro prima apostasia, per mensem integrum sustinebit; possit tamen Prior suus in silentio, cibo et potu dispensare, praeterquam in secunda, quarta et sexta feria. Ad prioratum vero alicuius loci, seu ad subprioratum vel ad aliquam curam animarum usque ad quinquennium nullatenus assumatur<sup>118</sup>.

488. Si vero Frater secundo apostataverit, supradicta poena per duos menses puniatur, et tam pro prima quam pro secunda apostasia voce careat, donec post annum et non antea, cum eodem fuerit per generale sive provinciale Capitulum dispensatum.

489. Si vero ad tertiam apostasiam devenerit, per tres menses poenae simili subiaceat; per annum habitu careat; ad prioratum, ad subprioratum et ad alia officia Ordinis nostri curam habentia animarum ineligibilis permansurus; et voce careat nisi cum eodem per duo generalia Capitula dispensemsetur.

490. Et si ad quartam apostasiam devenerit, ad Ordinem non recipiatur, sed licentiatus transeat ad alium Ordinem, nisi velit sine voce perpetuo permanere.

491. Ille autem qui cum scandalo de Ordine exiverit vel in saeculo in honeste conversatus fuerit, si scandalum non fuerit propter quod debeat carcerari, per mensem poenae gravioris culpare subiaceat; et secunda, quarta et sexta feria in pane et aqua sine dispensatione aliqua ieiunet; et his tribus diebus in Capitulo recipiat disciplinam. Et, completo mense primo, ad habitum et ad alias oboedientias restitutus, ex tunc ad tres menses, quarta et sexta feria coram Conventu, in pane et aqua, in terra, sine dispensatione ieiunet, privatus praedicatione et confessione, donec per generale Capitulum cum eo fuerit dispensatum.

492. Si receptores, qui secundum Ordinem possunt recipere supradictos, praedictam formam non servaverint, decem dies in pane et aqua, infra duos menses, ieiunent. Et nihilominus, qui contra hanc formam receptus fuerit, penitus ad poenas supradictas in omnibus teneatur, et voce in omnibus careat, donec poenitentiam compleverit, sicut est in praesenti capitulo assignata.

493. Nullus autem in apostasia existens ad refectorium et dormitorium Fratrum modo aliquo sit admissus.

494. Item definimus, ut Frater, qui tam modicum videtur nostrum Ordinem appetiari, vel ad ipsum affici, quod ab ipso Ordine petit licentiari, nisi infra duos dies a tali insania resipiscat, suam levitatem vel inobedientiam corrigendo, omnibus libris ac aliis rebus ab Ordine sibi concessis privatus, per mensem poenae gravioris culpare cogatur penitus subiacere, et ea quibus privatus fuerit, sua ingratitudine suggerente, ad manus Procuratoris Provinciae devolvantur<sup>119</sup>.

---

<sup>118</sup> VERODUN.: *Al margen, frente a las palabras finales:* Ad prioratum. Potest apostata incarcерari, nisi mittatur Provinciali, et Prior localis non disciplinet eum, sed eum cappam, si habeat, exuat, et postea ipsum liberabit.

<sup>119</sup> VERODUN.: *Omitido.*



## ADDITIO

Circa quadragesimum sextum capitulum de apostatis addicimus quod apostata rediens ad Ordinem, non solum pro apostasia, sed etiam pro quibuscumque delictis suis, tam in apostasia quam antea commissis, puniri debeat cum effectu, mandantes his, ad quos apostatarum receptio pertinebit, ut de vita et gestis eorum diligenter debeat inquirire, et eis poenitentiam condignam imponere, secundum exigentiam delictorum. Decernentes nullum Provincialem, aut alium officialem, citra Patrem nostrum Generalem, posse in poenitentia apostasiae, seu poenitentiis, vel quibuscumque aliis poenis in nostris Constitutionibus et definitionibus generalibus taxatis, quomodolibet dispensare.

Declaramus etiam quod ubicumque in statutis Ordinis dicitur talis poenam apostasiae incurrat, vel aliquid simile, sub hac generalitate excommunicatio non includatur, nisi hoc specialiter exprimatur.

Statuimus insuper quod quicumque Frater a nostro Ordine apostataverit sine scandalo, praeter alias poenas, voce careat per quinque annos. Qui vero cum scandalo apostataverit, carceri mancipetur per sex menses, ac etiam perpetuo sit voce privatus.

Qui vero apostatando habitum alterius Religionis assumpserit, rediens ad nostrum Ordinem, voce careat per decennium, sine dispensatione, et per consequens ad omnia officia Ordinis cum cura animarum inhabilis permaneat per tempus memoratum.

Volumus etiam ac praecipimus, quod omnis apostata, qui propter sua demerita voce est privatus, cum ad Ordinem fuerit reversus, per quinquennium omnibus sextis feriis occurrentibus, in terra sedeat coram Fratribus de conventu.

Statuimus insuper ut Frater cuiuscumque conditionis existat, qui fuerit ad perpetuum carcerem iudicatus, ad aliquem gradum honoris nullatenus assumatur. Cum aliis vero incarceratis, quorum poena non est maior taxata in Constitutionibus, antequam quintum annum compleverint post peractam poenitentiam, nolumus quod aliquis officialis Ordinis in voce valeat dispensare, addentes quod bis incarcerati numquam vocem habeant in aliqua electione.

## CAPITULUM XLVII

### QUAE SIT LEVIS CULPA

495. Levis culpa est: si quis, mox ut signum datum fuerit, non relictis omnibus ad Ecclesiam ordinate venerit; si quis in choro male legendō vel cantando offendens, non statim se humilians terram manu tetigerit, et surgens pectus suum percusserit; si quis divino non intentus Officio vagis oculis et motu irreligioso levitatem ostenderit; si quis in Ecclesia, vel dormitorio vel cellis aliquid inquietudinis fecerit; si quis Lectionem vel cantum, statuto tempore, non praeviderit; si quis aliud cantare vel legere prae sumpserit, quam quod communis usus habuerit; si quis in cameris privatis discooperto capite steterit; si quis, dissolute ridens, cachinis vel ludis, dictis vel factis, alios ad ridendum concitaverit; si quis oculos vagos per plateas vel villas eundo ad vanitates direxerit; si quis in vigilia Annuntiationis et Nativitatis Domini in principio Capituli per negligentiam non adfuerit, ut,



pronuntiatis Redemptoris nostri primordiis, dicendo *Deo gratias*, non se prostraverit; si quis aliquem locum exiens, plus una nocte moraturus, et vadens et rediens, benedictionem accipere neglexerit; si quis ad Lectionem in choro dormierit; si quis temporibus statutis cum aliis Lectionem auditurus non adfuerit; si quis altare vel Ecclesiae ornamenta negligenter tractaverit; si quis vestes suas vel libros statuto loco non reposuerit; si quis aliquid utensilium fregerit vel perdiderit; si quis cibum vel potum effuderit, vel sine benedictione sumpserit; si liber in quo legendum est, cuiusquam neglectu, defuerit, si quis in Conventu, vel ad Capitulum, seu ad Collationem vel ad communem refectionem non interfuerit; si quis eum a quo clamatus fuerit, eadem die quasi se vindicando accussare preaesumpserit; si quis cum iuramento aliquid negaverit vel affirmaverit; si quis turpem sermonem vel vaniloquium dixerit; si quis eorum qui in officiis deputati sunt, in aliquo negligens repertus fuerit.

496. Pro supradictis iniungetur Psalmus cum disciplina, vel amplius, si Priori videbitur expedire.

497. Huic poenae subiaceat qui silentium fregerit, vel pro victu aut pro vestitu seu aliqua re murmuraverit.

## CAPITULUM XLVIII

### QUAE SIT GRAVIS CULPA

498. Gravis culpa est: si quis inhoneste in audientia saecularium cum aliquo Fratre vel saeculari contenderit; si Frater cum Fratre, intus vel foris, lites habuerit; si quis alicui Fratri vel saeculari opprobrium dixerit; si quis mendacium ex deliberatione dixisse deprehensus fuerit; si quis Fratri praeteritam culpam, pro qua satisfecit, impropperaverit; si quis silentium non tenere in consuetudinem duxerit; si quis in cameris privatis silentium fregerit; si quis culpam suam vel aliorum sedendo defenderit; si quia inter Fratres discordiam seminaverit; si quis clamans in clamatione sua iurgium fecerit; si quis in illum a quo clamatus est vel in quemlibet alium minas vel maledicta seu verba inordinata et irreligiosa protulisse deprehensus fuerit; si quis mala de Prioribus, vel Fratribus seu conventionalibus suis malitiose evomuerit, quae testimonio Fratrum suorum probare nequiverit; si quis procedens ubi feminae sunt oculum fixerit, si tamen hoc in usu habuerit, vel cum femina solus non de confessione locutus fuerit, nisi, breviter interrogans vel respondens aliquid petierit vel responderit; si quis iejunia ab Ecclesia statuta fregerit.

499. Pro huiusmodi culpis et his similibus, veniam petentibus et non clamatis, tres disciplinae dentur in Capitulo et tres dies in pane et aqua ieunent. Clamatis vero, una dies et una disciplina superaddatur. Et praeter huiusmodi, Psalmi et veniae, secundum quod discretioni Prioris videbitur, pro qualitate culparum iniungantur.

500. Eadem poena digni sunt qui, postquam missi fuerint, in contemptum obedientiae, sine licentia ante terminum reverti praesumpserint, vel ultra terminum sibi assignatum moram fecerint.

**CAPITULUM XLIX****QUAE SIT GRAVIOR CULPA**

501. Gravior culpa est: si quis per contumaciam vel manifestam rebellionem Priori suo per diem integrum inoboediens extiterit, vel cum eo, intus vel foris, protervo et perverso persistens in sua duritia saltem per diem, non acquiescens veritati, postposita omni reverentia et paternali timore, quasi de pari contendere ausus fuerit; si quis mortale peccatum manifeste commiserit; si quis procuraverit quod ipse vel alius ab oboedientia Generalis Prioris eximatur; si quis rem sibi collatam receperit de his quae prohibentur recipi, vel collatam celaverit, quem beatus Augustinus furti iudicio dicit esse condemnandum.

502. Si proclamatus convictus fuerit, sponte surgat et crimen suum publico confiteatur et, denudatus cuculla, vapulet quantum Priori videbitur expedire, et sit in omnibus novissimus in Conventu; in refectorio ad communem mensam cum ceteris non sedebit, sed in medio refectorii in terra sedens, super nudam tabulam comedet; et providebitur ei grossior panis et potus aquae, nisi Prior ei aliquid per misericordiam impendat; nec reliquiae prandii eius cum aliis admisceantur; ad canonicas Horas et ad gratias post comedionem, ante ostium Ecclesiae, transeuntibus fratribus, iaceat dum intrant et exeunt; nullus itaque audeat se coniungere illi nec aliquid mandare.

503. Prior tamen ne in desperationem labi possit, mittat ad eum seniores, qui moneant eum ad poenitentiam, hortentur ad patientiam et satisfactionem, et si viderint in eo cordis humilitatem, tunc totus Conventus roget pro eo, et non renuat Prior cum eo facere misericordiam; et, si videbitur, vapulet denuo ad pedes singulorum: primo Prioris, deinde utriusque lateris sessorum.

504. Talis enim, quamdiu erit in hac poenitentia, non communicet, nec veniat ad osculum pacis, nec vocetur vel scribatur ad aliquod officium in Ecclesia, quamvis ad Officium stare possit, nec ulla ei nisi servitutis committatur oboedientia, nec habitum Religionis portet ante plenariam satisfactionem.

505. Si fuerit Sacerdos, vel Diaconus, vel Subdiaconus seu Praedicator his officiis non fungatur, nisi postmodum religiose fuerit conversatus.

506. Si quis per conspirationem vel malitiosam concordiam adversus Priorem suum manifeste se erexerit, modo supradicto poeniteat, et vocem in Capitulo non habeat donec per generale Capitulum secum fuerit dispensatum.

507. Quicumque vero poenitentiam gravioris culpae portat iuxta Ordinis instituta, donec ipsam poenitentiam compleat, a primo die usque ad ultimum, careat Professorum habitu.

508. Fratres vero qui in medio refectorii super nudam terram ad manducandum sedere debent, ita de sero sicut de mane, tempore quo Conventus bis in die reficitur, sedeant.



## CAPITULUM L

### QUAE SIT CULPA GRAVISSIMA

509. Gravissima culpa est: incorregibilitas illius qui nec culpas timet committere et poenas ferre recusat, de quo dicitur in Regula, ut *si ipse non abscesserit, de vestra societate proiiciatur*, secundum Apostolum, qui haereticum hominem, post trinam monitionem adhibitam et incorregibilitatem patefactam, devitari iubet, tanquam peccantem peccatum ad mortem, quoniam subversus est, qui huiusmodi est.

510. Hic quidem habitu exutus, sicut a corde Professionem abiecit sic et Professionis habitum deponere cogatur, si tamen usque ad horam illam sani capitnis et integri sensus extiterit. Nam sub qualibet occasione alicui non est danda licentia recedendi, ne canonica disciplina veniat in contemptum, dum habitus canonicae Religionis despicitur in indignis.

511. Si vero in aliquo casu Frater aliquis erit ab Ordine licentiandus, solum ad Generalem Priorem hoc facere pertinebit. Forma vero litterarum dimissoria talis erit.

512. Universis praesentes litteras inspecturis Fr. N., humilis Prior Generalis Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, salutem in domino sempiternam. Ad vestrae caritatis notitiam cupio pervenire, quod Fratri N., Clerico vel Laico nostri Ordinis professo, praesentium exhibitori, ad Ordinem Sancti Benedicti ubi vigeat observantia regularis, vel Cisterciensium seu Cartusiensium, concedo licentiam transeundi, assignans ei terminum trium mensium ad alterum dictorum Ordinum ingressum procurandum. Et postquam dictus Frater N. in altero ipsorum Ordinum canonicam fecerit professionem, sit a nostra et nostri Ordinis oboedientia absolutus. In cuius rei testimonium, sigillum nostrum praesentibus duximus apponendum. Datum in Urbe, quarto kalendas augusti.

### ADDITIO

Circa quinquagesimum capitulum de gravissima culpa addicimus quod nullus apostata de Ordine nostro licentietur, nisi prius revertatur ad Ordinem, et saltem per duos menses vel amplius, prout sua demerita exigent, in carcere steterit. Et ex tunc, si expedierit, Prior Generalis, vel Provincialis ex commissione Generalis, sibi licentiam dimissoriam largiatur.

In forma autem licentiandi Fratres ab Ordine, volumus quod in illa parte licentiae ubi dicitur ad Ordinem sancti Benedicti, semper ponatur, excepto Ordine sive collegio monachorum quorumcumque, in quibus de facto minor religio observatur, et ubi statutum apostolicum non contigent observare; quod dicimus propter statutum domini Benedicti Papae, qui statuit quod religiosi Mendicantes non possint transire ad nigros monachos vel ad albos, praecipientes districte quod nullus deliberate petat licentiam transeundi ad aliquod collegium quorumcumque religiosorum, ubi non vigeat de facto disciplina et observantia regularis. Contra facientes, poenas apostasiae incurvant ipso facto.



## CAPITULUM LI

### DE ORDINATIONE CONVENTUS, ET OFFICIO PROCURATORIS CURIAE ROMANAЕ

513. Quia Ordo potest de familia Curiae nota honoris et candali non modica denotari, ad ordinationem eius est cum deliberatione et diligentia praevia procedendum.

514. Statuimus igitur inviolabiliter observari, ut in ipso loco Curiae ponatur Frater aliquis pro Priore, quem fama et vita probent laudabilem, et longaeva ac religiosa eius conversatio Ordinis zelatorem. Sit autem tantae litteraturae, quod, cum opportuerit, latino sermone sufficienter possit omnibus respondere. Alias electionem eius seu promotionem ex nunc viribus vacuamus.

515. Conventuales vero dicti loci continue sint saltem quadraginta, scientes communiter legere et cantare, inter quos sint duo Lectores non mediocris litteraturae, sed sufficientes tam saecularibus quam Fratribus unam vel plures lectiones in die legere, et in omnī opportunitate disputationi, sermocinationi et praedicationi parati et prompti.

516. Sint quoque inter praedictos conventuales quatuor boni cantores, duo Diaconi, duo Subdiaconi et tres Acolyti apti sufficienter servire Cardinalibus et Praelatis, cum ad memoratum locum venerint celebrare.

517. Vita namque eorum, scilicet, Prioris, et Fratrum dicti Conventus et omnium aliorum in eodem loco existentium seu declinantium, in cibo et potu sit communis; ita quod in nulla singularitate victus ac specialitate loci ad reficiendum possit, sine evidenti et rationabili causa, Prior conventionalis seu Provincialis cum aliquo dispensare. Quod si aliter aliquis, hoc est, sine licentia necessaria et rationabili causa concessa, in eodem loco extra communem mensam, et aliud quam de communi cibo sumere attentaverint, pro qualibet vice, duobus diebus coram toto Conventu in medio refectorii super terram nudam sedens de sibi appositis manducabit. Quod si quis, spiritu elationis vel superbiae forte motus, dictam poenitentiam recusaverit, vel eam statim cum sibi dictum fuerit non fecerit, post proximum sequens provinciale Capitulum suae Provinciae, duabus annis in omnibus voce careat, et deinceps quousque sua inoboedientia fuerit secundum tenorem Constitutionis huius sufficienter purgata.

518. Praeterea, in generali Capitulo, Prior Generalis et Definitores ipsius generalis Capituli pro Procuratore Curiae Fratrem unum ponant, qui vita et fama laudabilis in Ordine fuerit, et facundiam latini sermonis habeat et vulgaris. Qui omnia negotia nostrae Religionis in quocumque casu ipsam Romanam Curiam tangentia, auctoritate praesentis Constitutionis agere et prosequi in omnibus et singulis plenarie possit, consilio tamen aliquorum discretorum Fratrum, quos ad hoc per oboedientiam vocaverit, cum opus fuerit, in arduis negotiis reservato.

519. Eidem enim Procuratori omnes et singuli Fratres ad locum Curiae declinantes litteras oboedientiae praesentent et, infra secundam diem post eorum adventum, causam



totam pro qua iverunt proponant et exponant, et tam in his quam in aliis ipsi Procuratori oboediant, et secundum eius consilium et mandatum se regant<sup>120</sup>.

520. Nullus quidem tam de forensibus quam de conventionalibus Fratribus omnibus ad curiam Domini Papae nec ad ostium alicuius Cardinalis, nec ad hospitium Camerarii, Vicecancellarii, Notariorum, Auditoris causarum, Poenitentiariorum, Capellanorum, vel alterius Curialis vel Officialis, seu quorumcumque Praelatorum vel Procuratorum in Romana Curia existentium personaliter accedere vel mittere sine licentia ipsius Procuratoris audeat ullo modo.

521. Priori tamen vel Subpriori ipius Conventus liceat Dominum Papam, et Cardinales et etiam alios Curiales interdum pro devotione et benevolentia eorum captanda et retinenda visitare, et pro eleemosynis Conventus dumtaxat petendis, ut moris est aliorum religiosorum, ire vel mittere.

522. Alioquin, nihil Prior, vel Subprior, seu aliquis Frater Ordinis, pro se vel pro Ordine, seu pro aliqua alia persona vel loco, petere, vel impetrare vel procurare praesumat, sine ipsius Procuratoris conscientia et licentia speciali. Illum sane, qui aliter aliquid petere, procurare vel impetrare praesumpserit, tanquam temerarium transgressor mandatorum Maiorum, corrigat et increpet secundum quod sibi delicti merita suadebunt, rigore Constitutionum Ordinis servato.

523. Ipse porro Procurator, cum ad Curiam seu alias ire voluerit, Fratrem aliquem de forensibus secundum suam voluntatem accipiat. Quod si de conventionalibus ducere, vel cum aliquo forense Fratrem aliquem mittere voluerit, illum Priori vel Subpriori petat. Quod si Prior vel Subprior sibi concedere omittat, unum ex ipsis conventionalibus, de conscientia tamen Prioris vel Subprioris, secundum suam voluntatem accipiat. In casibus tamen repentinis, et improviso supervenientibus, et inopinatis, qui nullam dilationem patiuntur, recipiat socium ad votum, quotiens talis necessitas apparebit, sine conscientia et requisitione Prioris.

524. Illos nempe, qui in eundo ad Curiam vel ibidem stando aliquid, dicto vel facto, commiserint propter quod possit Ordini scandalum aliquod exoriri, vel ipse Ordo nota infamiae denigrari, corrigat secundum quod culpa delictorum requirit, excessus intra locum commissos disciplinae Prioris vel Subprioris in omnibus relinquendo.

525. Si autem quandoque Conventus Curiae a forensibus Fratribus nimium gravaretur, aliquibus de eis sibi utilioribus retentis, alios ad loca circumadiacencia mittat, in quibus morentur, donec ipsi Procuratori visum fuerit expedire.

526. Cum ergo in omnibus quae de factis Ordinis in Romana Curia ventilantur, Ordo totus in providentia et circumspectione Procuratoris quiescat, omni solicitudine et providentia in promotione et expeditione ipsorum negotiorum vigilat et persistat, ne irreparabiliter pereat Ordini quod debebat sua solicitudine et providentia procurari.

527. Igitur eidem Procuratori Prior, et Subprior et ceteri Fratres alii de Conventu tanquam legitimi suaे Religionis filii in opportunitate oboediant et assistant.

---

<sup>120</sup> VERODUN.: ... pro qua iverunt, aperiant et exponant, et secundum eius consilium et mandatum se regant.



## ADDITIO

Circa quinquagesimum primum capitulum de ordinatione Conventus Curiae Romanae addicimus quod non possit mitti aliquis ad Curiam Romanam pro studente, nisi sit Sacerdos; et quod non possit aliquis mittere, nisi Prior Generalis; et quod Frater accedens ad Curiam pro negotiis saecularium vel propriis, solvat conventui medium turonensem in die; et quod nullus ad Curiam accedat sine debita licentia, sub poena apostasiae ipso facto, de qua indicare habebunt Procurator Ordinis cum Priore et Magistro in Curia memorata.

Et quod nullus causam aliquam vel supplicationes praesumat proponere in Curia, sine scitu et voluntate Procuratoris Ordinis, sub poena gravioris culpae per duos menses, quam contra facientem faciat Procurator Ordinis, ubi sibi videbitur, observare.

Et quod nullus praesumat rebellibus sanctae matris Ecclesiae favorem praebere, aut eorum ambaxiatas et negotia gerere, sub poena carceris, quam contra facientem incurrere volumus, ipso facto, per sex menses.

Praeter carcerem Conventus, Procurator Ordinis habeat unum alium firmum carcerem, cum compedibus, cipis et manicis ferreis, pro apostatis, in Conventu Curiae Ordinem denigrantibus, inibi detrudendis.

EXPLICIUNT CONSTITUTIONES ORDINIS FRATRUM EREMITARUM SANCTI AUGUSTINI